12.
(1)

BODLEIO-
MNEMA.

OXONIÆ,
Excudebat Iosephus Barnesius. 1613.

XUM

MEMORIÆ SACRVM.

VIRO CLARISSIMO, PIISSIMO,
DOCTISSIMOQVE, D. THOMÆ
BODLEIO, EQVITI AVRATO,
DE ACADEMIA OXONIENSI
TOTAQVE REP. LITERARIA
OPTIME MERITO:

QVARTO CAL. FEB. Aº. MDCXII
INSIGNI LITERATORVM
MOERORE VITA FVNCTO,

COLLEGIVM MERTONENSE,

IN QVO OLIM SOCIVS VIXERAT,
ET NVNC IACET SEPVLTVS,
MOERENS DICAT
CONSECRATQVE.

XUM

Favete linguis, carmen affero novum.
At ô profana turba, pervicax, procul
Abſiſte. Nullum veſtiblo hoc ſacro locum
Oculus malignus, aut profana mens habet.
Etenim ſacra hic ſunt omnia, exequia ſacra,
Et candidum funus: recluſæ cœlica
Aulæ fores patentiore limine,
Excelſior ſacris Olympi ſedibus
Auguſtiori umbra paretur vt locus.
Mortale quicquid inerat, hoc loco exuit:
Virtus comesq; fama curam funeris
Gerunt, viceſq; mutuas præſtant ſibi:
Virtus priores vendicat, fama vltimas.

IN OBITVM CELEBERRIMI viri THO. BODLEII, *Equitis aurati.*

PVblica privato concedere damna dolori
Si possent, BODLEIO animæ pars maxima nostræ:
Jam foret in luctus longas extendere luces
Cura mihi, mœstamq; animam satiare dolore.
Publica sed nostros exhausit cura dolores:
Et tua jam mœstos excellens gloria luctus
Vel multùm cohibere potest, vel tollere prorsus.
Non lugemus enim, verùm admiramur ademptum.
Mirandum solidæ virtutis gloria fecit.
Et quem mirandum solidi posuere labores,
Æternum facient. At nec miranda dolenter,
At neq; suscipimus quæ sunt æterna dolenter.
Hæc rerum series. Miramur magna, dolemus
Perdita. BODLEIVM Magnum nec Musa perire,
Nec virtus patitur, Donec monumenta manebunt
Musarum, & celebris durabit fama Scholarum,
Donec in humanis virtutis gloria vivet,
Donec erunt veræ virtuti debita cœlo
Præmia; certabunt concordi reddere voto
BODLEIVM Musæ, Mortales, Sidera Magnum.

N. BRENT *Vicecustos mœrens scripsit.*

A Ad

Ad Melpomenen Musarum tristissimam.

MElpomene, quid me tardâ incurvante senectâ,
Ad numeros cogis mœsta redire graves?
Desine donatam rudè sollicitare Minervam,
Quæ crassa in summo flore Minerva fuit.
Quin reliquas potiùs perge instigare sorores,
Vt celebrent lachrymis funera fienda suis.
Vt tristes elegos & lamentabile carmen
Argutis aptet turba misella lyris.
Vos lamenta decent. Lachrymarum effundite rivos,
Fletibus vt vestris area tota fluat.
Lætitia hinc absit; nescit comes esse doloris.
Non benè conveniunt hic dolor, ille lepos.
Terpsichore, non est fas exultare choreis:
Abstineat solitis læta Thalia modis.
Calliope nunquam verbis assueta malignis
Fatales probris impetat usq; deas.
Sæviat Euterpe sacros imitata furores,
Phœbeæ quàmvis aptior illa cheli.
Vrania atq; Erato decorent pia funera fletu;
Vrania hoc majus, nil Eratóve potest.
Clio BODLEII divulget facta per orbem;
Illius vt toto splendeat orbe decus.
Omnia multiplici prægnans Polyhymnia versu
Finiat, affectus monstret & ipsa suos.

Ad Musas novem.

Vos me Pierides, ego vos, Lebethrides, oro
BODLEII tumulo ferre Heliconis opem.

De-

Defuncti cinis hoc, chari pia cura parentis
Exigit à nobis hoc opus, hanc operam.
Flagitat hoc amor & dolor hic communis vtrisq;,
Quæq; capit cineres flebilis vrna pios.
Nunc age, Melpomene, nigris induta cothurnis,
Incipe lugubri solvere justa rogo.

Melpomene.

Proh dolor! instabilis quàm sunt hæc lubrica mundi — *Musarum eiulatus.*
Gaudia! quàm diris obvia vita malis!
Musarum cecidit Mœcenas, occidit Atlas,
Oxoniæ splendor, Mertonidumq; decus.
Heu, cum BODLEIO pietas, heu quanta recessit!
Deficit hoc ipso nostra Camœna loco.

Terpsichore.

Illa ego quæ fueram lepidis addicta choreis,
Heu querulos cogor tristis inire modos.
Quid queror? ah nostri quanta est mutatio plectri!
Discordant chordæ, dissiliuntq; fides.
Ah, cytharæ prærepta meæ mea gaudia torpent.
Terpsichore posthac nil nisi triste canet.

Thalia.

Plangere lascivam quis credit posse Thaliam,
Plaudere quæ nata est? comica nympha vocor.
At nunc in tragicos solvor mœstissima planctus.
Heu, heu quàm lachrymis lumina nostra madent!
Sed lachrymæ, sed nil lachrymosa poëmata prosunt:
Lugere ablatum, non revocare queunt.
Si nil plangendo, si nil prodesse precando
Melpomene potuit, crede, Thalia minus.

Calliope.

Odi clamosæ convitia turpia linguæ.
Hîc tamen haud Parcis parcere lingua potest.
Crudeles Parcæ, furiæ, Phlegetontis alumnæ,
Humani generis pestis, & atra lues,
Tam citò BODLEIVM cur sic rapuistis iniquæ?
Tam mitem immites sidereumq; virum?
Horreo, detestor lemures, Stygiasq; sorores,
Execror Eumenidas, Tartareasq; strigas.

Euterpe.

Mors, BODLEE, meas tua quando perculit aures,
Ante oculos stabat dira Medusa meos.
Quo misera Euterpe ferali exterrita spectro,
Protinus effusas dilacerata comas,
Et lymphata metu, rabidoq; accensa furore
Rapt abam trepidâ ferrea tela manu.
Sed reputans mecum, vanam sine viribus iram,
Ad solitam redij sic lachrymosa chelyn.
Eheu me miseram, perijt BODLEIVS heros,
Ah perijt nostri gloria magna chori.

Nenia.

Erato.

Parturit infandos fatali in funere luctus
Grandis amor; luctu verba minora parit.
Mors peperit luctum, sed mors non finit amorem,
Tantus in occultis ossibus hæret amor.
Quantus amor fuerat, tantus nunc æstuat angor:
Sic mihi jam restant angor amorq; pares.

Urania.

BODLEII mœrens prędixi cœlica mortem
Urania; ah, potui non prohibere mori.

Non

Non potui, volui: sed inevitabile fatum.
O vtinam nostræ fas foret hoc cytharæ.
At nunc æthereis felix caput inserit astris.
Hîc fama, astillic vita perennis erit.

Clio.

Quàm volui meritas BODLEII expromere laudes?
Sed nequeo mœstis læta referre genis.
Gloria virtutem sequitur, semperq; sequetur:
Nec potuit tecum, te moriente, mori.
Sed pia posteritas, recolet te fama superstes;
Doctorum vives semper in ore virûm.
Funere tota tuo lugens Academia vultu
Demisso squalet, funere læsa tuo.
Pallas mæsta tibi, tibi tristis Apollo parentat,
Ingenuæq; artes, artificesq; tibi.
Bibliotheca pios monstrat celeberrima sumptus,
Fabrica præcipuis nobilitata libris.
Laus tua non moritur, superest memorabile fanum;
Fama loquax vivit, nescia fama mori.
Hic cinis est, nomen defuncti quære per orbem: *Epitaphium.*
Ossa latent, nusquam facta latere queunt.

Polyhymnia.

Mille tibi salvo saliens Polyhymnia vovit
Cantica; jam numeris deficit ægra suis.
Corporeos superat mens perturbata dolores,
Dum nequit affectus læsa referre graves.
Quæ fæcunda fui, sterilis sum facta gemendo,
O BODLEIE, tuis semisepulta rogis.

Me velut invitum Musæ tardumq; rogabant,
Carmine Bodleium contumulare meo.
Carmine sed nostro, nec me præconde suarum
Bodleius laudum, nec pietatis eget.
Sponte, libensq; fleo, justo instigante dolore:
Nec mea mœrenti sat mihi Musa, facit.
Quem juvenis juvenem clarâ virtute nitentem,
Illustrem verâ nobilitate virum,
Doctrinâ excultum, Musis, studiisq; benignum,
Quemq; pium novi religione senem,
Quem colui vivum, meritò & venerabar honore,
Non hunc desunctum sponte libensq; gemam?
Rara fuit Bodleius avis; Phœnix fuit alter,
Anglia non multos, credo, nec orbis habet.
Ah, fuit; ah, non est. Hoc sed Phœnice perempto,
Ex cinere hoc Phœnix forsitan alter erit.
Sed sine delectu mors improba sævit in omnes:
Heu, magis æthereis invidet atra viris.
Parce tuis, ô parce deus, nitidissime parce.
Nec lachrymis celebrem funera plura meis.

HEN. BVST *in Medicina Doctor, & apud Mertonenses prælector ordinarius in eadem facultate.*

QVæ modò læta fuit tantæ de nomine prolis,
Vnica de cunctis visa beata parens:
Nunc gemitu, lachrymisq; suis confecta, dolore
Concidit, inq; elegos cogitur ire leves.

Vnicus

Vnicus exoritur per plurima secula Phœnix,
Vt moriens luctu cum graviore ruat.
Vnicus occubuit Phœnix sua secla serenans:
Occidit vt nitidus, luce cadente, dies.
Sic at ab Æois quum nubibus aureus exit
Phœbus, & astra suâ cedere luce jubet,
Exoriensq; parat lumen mortalibus almum
Promere, & hinc vires exeruisse suas:
Hinc lux, hinc ordo, distinctaq; tempora rebus
Indita, & hinc rebus vita salusq; venit:
At postquam occiduo submersus in æquore lucem
Sustulit, & gelidum condidit vmbra polum;
Conditur in tenebris facies pulcherrima rerum,
Et lux, sublato sole, sepulta jacet:
Sic sol exoriens nostris Bodlevs in oris
Luce suâ vegetans Oxoniense solum;
Nascitur vt Phœnix, vt sol resplendet, amatq;
Luce sua nostras irradiare scholas.
Nascitur exemplum prisci venerabile secli,
Gestit & ad nostros prisca redire dies.
Et rediens Astræa poli fastigia linquit,
Atq; pedem in nostris ponit amica scholis.
Et solitæ comites virtus probitasq; sequuntur,
Pax, candor, pietas, intemerata fides.
Hinc auctо numerо doctæ coiere sorores,
Et pleno cornu copia fudit opes.
Singula se virtus Bodlei o accomodat vni.
Quod vix concessum est omnibus; vnus habet.
Hic tamen, hic nobis fatis præreptus acerbis,
Ah citiùs gelidâ contumulatur humo.

Sed

Sed tamen antè sui gelido quàm puluere condi
Sustinuit tremulas corporis exuvias,
Nobilibus gemmis, solidoq; ornatius auro
Regifico structum more peregit opus.
Stat domus exemplum secli memorabile nostri,
Quæ monumenta virûm non moritura capit.
Conditur archivis nostris æterna supellex,
Quicquid ad ornatum rarius orbis habet:
Quicquid ab antiquis doctum defertur Athenis,
Vel si quod præstans India mittit opus:
Vel si quid vestris Arabes aluistis in oris,
Quod procul abstrusum pectora docta sapit:
Quæcunq; antiquas Latij deposta per oras,
Sive quid ornatum jam novus orbis habet:
Omnia Musarum monumenta operosa sacrarum
Bibliotheca ferax Oxoniensis habet.
Hæc tua laus magnos inter tam rara Monarchas
Mæoniam potuit promeruisse lyram.
Laus hæc mortales inter rarissima, nomen
Heroum in numero jussit inesse tuum.
Indignata elegos, sublimia carmina quærit,
Deq; viro magno grandia Musa loqui.

Ergo age Musa loquax, & flendi lege rejectâ
Mæonios tentare modos, & carminis alti
Aude aliquid; meritis pro magnis parua repones.
Hanc tibi Pierides nectunt, BODLEIE, coronam,
Oxonides nectunt: quámvis majora canendo,
Inferiora tuis virtutibus omnia cedunt.
Jam mihi, Pierides, antiqua revoluite secla

Quæq;

Quæq; ſub obſcuris tenebris latuêre repoſta
Pandite venturis, noſtræq; ab origine prima
Fundamenta Scholæ, varijſq; laboribus acta
Magnanimúm tum facta patrum, tum fata nepotum.
Tempus erat ſacris quo mœnia condere Muſis
Manſura, æternis devota cubilia Nymphis
Alfredus magno princeps molimine voluit.
Jlle ſub occiduo quà ſole Britannia merſos
Erigit, & madidos attollit ab æquore colles,
Anglo-Saxonidas magna ditione regebat:
Pacis & armorum quo non præſtantior alter
Laude: ſed immenſas ſpe prætervectus avorum
Fortunas, animis ingentibus alta revoluit,
Magnanimoq; viro novus vltrò accenditur ardor,
Immiſſuſq; animis Deus imperat, inclyta Muſis
Mœnia nobilibus fatis, & numine dextro
Erigat: & toto diſjectas orbe ruinas
Muſarum, toto famâ celebrandus in orbe,
Hoſpitio excipiat, manibus nova mœnia ſacris
Inſurgant. Operis ſacri ſacer autor habendus
Quæritur: Jlle alios longo pòſt tempore ducet.
At primum hæc animis quum cœpta agitaverat, vltrò
Concilium ſacrum ſacris de rebus habendum
Convocat. Hîc aderant de ſacrato ordine ſummi:
Pontificum Princeps Plegmundus in ordine primus,
Et Menevenſis Aſer: poſt illum cetera turba:
Ante alios pietate gravis, meritiſq; Neotus.
Jlle ſibi ſanctam de Cœlo effingere vitam,
Et mundi impurâ procul omni fæce remotam,
De Cœlo accenſus caſto flagrabat amore,

Et licèt obscurus latuisse, Deóq; vacare
Secretò quæsisse studet; tamen effugiendo
Nil agit: hanc lucem nullæ potuere latebræ
Condere: cœlestem produnt miracula vitam.
Jlle suis latebris extractus, regia primum
Ora animosq;, deinde aliorum in se ora trahebat
Omnia. Tantũ animos pascunt spectacula sancta.
Hauserat ille animo, quę sunt, quæ præterierunt,
Et quæ sunt posthac seris ventura sub annis.
Hunc rex Alfredus compellans, talia fatur.
O regni pars magna mei: si talibus armis
Militibusq; forent mihi propugnacula regni
Vallata, haud metuam miserandâ cæde cruentas
Hostiles acies, belli indomitósve furores:
Cœlesti mea castra forent sub milite tuta.
Rarior hæc oritur virtus, quæ vilia mundo
Pectora, grata Deo profert. Rarissima turba hęc,
Viribus æthereis precibusq; patentibus vltrô
Vim factura Deo, rebus feret otia nostris,
Barbaricas vires invisaq; fœdera franget.
Sæpiùs æthereis missum tutamen ab armis
Sensimus, experti imbelles sine numine dextras.
Nec tantùm armatæ crescit fiducia turbæ,
Nec mihi tam certam validis exercitus armis
Spem facit in bellis, quantum valuêre pudici
Et sancti mores, fideiq; invicta potestas.
Hęc mihi præ gladijs & curribus arma placento:
Imperia hinc sua fata trahunt. Nã maxima regna
Dissipat impietas, stabunt pietate minora.
Hæc mihi perpetuò maneat lex vna regendi:

Ad

Ad ſanam hanc mentem multos me exercuit annos
Omnipotens,& quas animi ſtabilis mihi firmas
Proſpera non dederant vires,adverſa dedêre.
De lare privato quum me mea fata vocarent
In regnum,memini me conſuluiſſe Neotum;
Hæc reſponſa tuli. *Vives nutrice ſubulco,*
Et de barbarico quàm victor ab hoſte triumphum
Egeris; ante tamen triſti condère ſepulchro:
Et fies mimus de rege. Hæc triſtia quamvis,
Aſt animo patiente tuli. Jam, magne Neote,
Quanta tibi pietas inſit, quam ſacra poteſtas,
Senſimus: imperij columen venerabile noſtri,
Sanctorum numerande choro,majora repande
Fata mihi; venerande ſenex,dic fata meorum.
Vnum etenim votis ſtudijſq; ardentibus opto,
Vt deploratо pietas ex orbe repulſa
Hoſpitium in regnis teneat durabile noſtris.
Hoc ego conſilio ſtatui pietatis alumnas
Inſtituiſſe Scholas. Pietas vbi ſede perenni
Regnet,in exilium pellantur & effera corda
Perpetuum,votis ſi congrua fata ſequantur.
Hæc vbi dicta dedit,tenuere ſilentia cunctos,
Oraq; ſuſpenſis retinebat fixa Neotus.
Ac tandem ſacro concuſſus pectora motu
Hæc ita ſubjecit. Supremi cura Tonantis,
Quid ſtabiles ſedes,quid firma cubilia quæris,
Verus vbi cultus,pietas vbi fixa perennet?
Jlla quidem ſedem non hoc ſub ſole manentem
Poſſidet,aut vſquam certa ſtatione recepta eſt
Perpetuò,ſed vbiq; perenniter oſtia pulſat.

Felices animę, Domino pulſante, recludunt.
At ſtudijs hominum pars maxima dedita vanis:
Vanus amor, vanuſq; furor, vaniq; labores
Sponte ſuo miſeros mortales vulnere figunt.
Pulſa igitur pietas, & vanis cedere curis
Cogitur, exilijs, ferro, flammiſq; fugata
Fertur, & ingrato peregrina pererrat in orbe.
Sed ſi tantus amor cognoſcere fata tuorum,
Nonnulla expediam. Veniet labentibus annis
Funeſtum & fatale malum, ſæviſſima peſtis,
Quam Babyloniacum monſtrat ſacra pagina ſcortum.
Barbarus ille furor tenebroſâ emiſſus abyſſo
Vndiq; ſanguinei graſſabitur arte Draconis,
Infeſtans ſolem tenebris, & ſanguine lunam,
In ſanctos ſine fine ciens crudelia bella.
Improba naſcetur, dira, & ſine fronte propago,
Publica pernicies, *Fratrum* de nomine dicta.
Quas inter peſtes orietur turbibus ordo.
Illi per ſcelus & fraudes vt fallere poſſint,
Moribus inducent tectoria callida ſævis,
Improbuli, ſanctum jactantes nomen *Ieſu*.
Vt miſerum ſævis agitent in cædibus orbem,
Vt cumulent diris reges & regna ruinis,
Pacem de rebus tollent: his artibus vltrò
Et pietas & ſancta fides è ſedibus actæ
Præcipites fugient, vt vix vbi ſiſtere poſſint
Inveniant inter ſordes & crimina *Fratrum*.
Has contra furias tua, Rex, audentior ibit
Poſteritas, regeſq; adeò pietatis alumnos
Hæc exempla trahent. Tu fundamenta locabis,

Suc-

Succedent alij. Cœptis Deus arbiter adsit
Propitius, facinusq; tuum regale secundet.
Auspicijs, Alfrede, tuis Academia surget,
Tu prior hæc Musis noua fundamenta locabis,
Succedent operi post secula sera nepotes.
Ante alios primus tua, Rex, exempla secutus
Gualterus, Præsul venerandus, nomine *Merton*
Eriget in columen fidei, Fratrumq; ruinam
Nobile (quo pulsam reuocet) pietatis Asylum.
Nobilis hæc varios se in ramos mittet origo,
Plurimaq; hinc surgent doctissima pectora, tanquam
Grata per obscuras orientia lumina terras.
Atq; hæc sub fidei signo, cultúq; sacrato,
Inclyta militiam præstabunt castra perennem.
Milite quo doctæ (gratissima turba) Sorores
Optatam his castris pacem requiemq; tenebũt;
Et de Pierio cedentes vertice Musæ
Oxonium pulchrâ migrabunt sede receptæ.
Ergo age, & eximios venerandæ matris honores
Suscipe, deq; tuo felix & læta parente,
Magnorumq; simul numero fœcunda nepotũ.
Tu mersis lucem rebus dabis, atq; profundas
Per secli tenebras tua lux exorta micabit.
Tu dabis excultas animas, & plurima secla
Luminibus, Mertona, tuis splendentia reddes.
Inde sui surgent gemini duo lumina secli
Mertonidæ. Ingenium prudenti è pectore nascens,
Iudiciumq; animi vigilantis ad alta paratum,
Virtutis rigidæ custodia, gloria culti
Pectoris: hęc magnum est laus ornatura nepotem,

Qui felix, Mertona, tibi nova mœnia condet.
Cujus ab ingenio redivivâ luce nitescet
Finibus Hesperijs fax relligionis Eoæ.
Tuq; adeò plures ô progeniture nepotes
Excellens, Bodlei, caput, charumq; Camœnis
Oxonij renovata novas Academia vires
Accipiet virtute tua, propriumq; decorem.
Hic ille est, qui sollicitas miseraſq; Camœnas
Restituet sparsas, tôtoq; recolliget orbe.
Et de barbaria solidum feret ille triumphum.
Namq; ruet vastans latè, regnumq; tenebit
Barbaries, doctasq; premet rubigine chartas,
Et squalens rapiet caries monumenta virorum
Ingenij diâ qui sudavêre palestrâ.
Purior at postquam patrio descendere Cœlo
Prisca fides, & justitiæ sol aureus vltrò
Non dedignetur miseras invisere terras,
Aurea restituens inculto secula mundo:
Protinus illuviem informem rudis exuet orbis,
Et Decor & splêdor doctas comitabitur artes.
Tum verò ingenijs culturâ atq; arte potitis
Herculeâ subeunda manu certamina surgent:
Eruere è tenebris Musas, emortua scripta
Ad lucem revocare suam, supplere ruinas
Quas tineæ blattæq; ferent, præstare prioris
Ingenio vigili damnanda oblivia secli.
Felices animæ memorandaq; nomina factis,
Viuida quos virtus studio formabit in isto
Excelsos, doctóq; dabit regnare senatu.
Interea surget gens effrons, improba, sæva,

Effe-

Effera, quæ veterum plagio monumenta reficta
Commutent, lacerent, ſtudijs mendacibus edant,
Vel genuina premant, vel ſurtim aliena ſuendo
Adijciant, nec viſa prius. Sic effera & audax
Falſatos veterum dabit impoſtura labores.
Tanta animis magnis rerum diſcrimina voluens
BODLEIVS, tenebras inter lucemq; ſedebit
Arbiter illuſtris: Muſis dabit otia feſſis,
Et lucem preſſis. Tanto ſub vindice ſtabit
Incorrupta fides. Tanto ſub vindice præceps
Corruet impietas. Pravos infamia turpis
Corrodet, proprioq; ſcelus ſe verbere cędet.
Nam lucem vt rebus reddat BODLEIVS amatam,
Coget inexhauſto ſtudio exemplaria Græca,
Et paſſim Romana ſimul congeſta reponet.
Et velut è ſpeculâ ſcelus, artes, furta maligna
Proſpiciens, contra tam perdita ſecula fortis,
Romanas contra fraudes, arteſq; profanas,
Et quos inſtituet Babylonis adultera mores,
Magnificis animis & ſumptibus, orbe remenſo
Partibus è noſtris ad littora ſolis Eoi,
Splendida Pierias Nymphas in caſtra vocabit,
Hęc lux huc celebres rediviva reducet Athenas
Eoo merſas, noſtro ſed in orbe renatas.
Hæc ſtudio accenſus veri, & virtutis amore
BODLEIVS contra Romani ſæva Draconis
Sibila perficiens, in publica comoda natus
Splendidus & felix victor, venerabile dulces
Nomen apud Muſas æterna in pace reponet.
Hactenus hæc quondam fama eſt ceciniſſe Neotum.

At nos ad lachrymas atq; ad tua funera verſi,
Funera flebilibus concomitanda modis,
Hanc tibi mœrentes ferimus BODLEIE coronam
Hanc tibi Mertoni triſtia caſtra ferunt.
Militiam illa gravem atq; operoſam caſtra ſequuntur,
In quibus illuſtris tu quoq; Miles eras.
En mœſtæ ex toto coeuntes orbe Camœnæ
Ad funus properant lecta caterva tuum.
Et lachrymas inter certant tibi fundere laudes,
Orba parente ſuo turba canora gemens.
Atq; ita dum coeunt circum tua funera flentes
Mœſtis cum lachrymis carmina miſta cadunt.
Quod Muſis alij debent, hoc jam tibi Muſæ:
Hæc fuerit laudis gloria prima tuæ.
Namq; alijs Muſæ vitam, lucemq; dedêre:
Aſt à te Muſis vitaq; luxq; venit.
Quam rara hæc, ſolo BODLEIO gloria digna!
Accipiunt alij quod tribuiſſe tuum eſt.
Sint Muſę elingues, & ſint ſine voce Camœnę,
Suſtineant laudes ſi perijſſe tuas.
Vita fuit (dum vita fuit) quæ luce ſerena
Emicuit ſeculi lactea gemma ſui.
Moribus innocuis contra ſua ſecula conſtans
Vivendi eſt factus regula certa ſibi.
Incautas animas quæ cæca in retia cogit,
Huic tamen extincta eſt ambitioſa ſitis.
Sæpiùs & fuerat quamvis ad magna vocatus
Munia, (ſic virtus emicat è tenebris)
Nulla tamen firmam potuit corrumpere Siren
Mentem, aut illecebris ſollicitare ſuis.

Dumq;

Dumq; alij cæco stimulantur honoris amore,
Huic virtus magnis abstinuisse fuit.
Extimulat plures amor insatiatus habendi,
Partaq; servandi noxia cura tenet:
Ille fuit rerum sapiens conviva suarum,
Non fluxâ ducens vtilitate bonum.
Quas cumulavit opes fortuna fluentior illi,
In sacras Musas fundere cura fuit.
Cura fuit patriam sanctis doctisq; polire
Moribus, & famæ consuluisse suæ.
Aurea jam priscos renovabunt sæcula mores,
Fictaq; in exilium iam relegata fides.
Relligio sincera tuis firmata trophæis,
Purior & pietas, & veneranda fides,
Præmia de cœlo tibi non moritura rependent,
Æternum vt capiti fient diadema tuo.

GEORGIVS CARLETON, *S. Theol. Bacc. Coll. Mert. olim Socius.*

DUm penetrans oculis circumspicit omnia Phœbus,
Orbis terrarum quæ pretiosa tulit:
BODLEIANA procul se tollit *Bibliotheca*,
Extra orbem superans quicquid in orbe fuit.
Artes, naturam, linguas, gymnasia, Musas,
Inclyta BODLEII *Bibliotheca* beat.
Ecce videt, visaq; stupet, stupefactus Apollo
Dicitur ad cytharam sic cecinisse suam.
Olim *Parnassi* gaudebant vertice Musæ,
Nunc juga *Parnassi* deserere statuo.

Oxonium volitant BODLEII funera flentes,
Plangere nec ceſſant, nec laniare comas.
BODLEIVM ripas, BODLEIVM voce canorâ
Valles, & ſylvas ingeminare docent,
BODLEII corylus, BODLEII Delphica laur⁹
Inciſum duro cortice nomen habet.
Mox *Mertonenſes* adeunt tumuloq; gementes,
Aſpergunt manibus lilia crebra ſuis.
Tum ſublime volant, & BODLEIANA ſtupentes
Culmina dum ſpectant, talia voce ferunt:
Parnaſſus valeat, valeant Heliconides vndæ,
Hæc eſt Nympharum Pieridumq; domus.
Parnaſſus *Shotoverus* erit gratiſſimus vmbrâ,
Et nobis Helicon fons, *Stagirita*, tuus.
Huc mœſtus cecinit Phœbus, finemq; repentè
Dicitur inceptis impoſuiſſe modis.
Claviger interea *Iameſius* oſtia pandit,
Palladis, (vt perhibent) Mercurijq; nepos:
Oſtendit veterum Muſis monumenta virorum,
Et mirâ arcanas arte recludit opes.
Vidit & invidit Phœbus, celanſq; dolorem
Blanda, ſed à triſti pectore, verba tulit;
O quot, *Iameſi*, millena volumina verſas!
Hinc molles violas carpis & inde roſas!
O quàm tu felix! ô quali ſidere natus!
Tantus honos ipſâ Pallade dignus erat.
Ecce tibi cytharam, qualem nec dulcis Arion,
Nec pulſat digitis Orpheus ipſe ſuis.
Ecce tibi plectrum gemmis auroq; coruſcum,
Has tibi delitias, hæc tibi dona dabo.

Vel

Vel dabo, si placeat, pharetras, arcumq; sonantem,
Quo possis Summum sternere Pontificem.
Nunc paucis attende, tuus quid quærat Apollo;
Nec votis nostris abnue, dulce caput.
Claves posco tuas, claves concede petenti,
Et mea sit dono Bibliotheca tuo.

FRANCISCVS MASON *in Sac. Theol. Bacc.*

BODLEIVS jacet hîc. Quàm vox non convenit ista?
Fortè solœcismum, barbara Musa, facis.
Erexit Musas miseras arteſq; jacentes:
Erexit Phœbi mœnia sacra choro.
Numquid & ille jacet? Monumenta perennia Musis
Qui struxit, num non ipse perennis erit?
Quin si quem lachrymæ salsæ à putredine servant,
(Nec rarò prohibent corpora, salsa, mori)
Eripiant avido si quem pia facta sepulchro
(Vt toti intereant nec pia facta sinent.)
Si quicquam Musæ, si quicquam Academia possit,
Ex aliqua saltem parte perennis erit.
Quàmq; diu steterit florens Academia, vivet,
Nec nisi cum Musis concidet ille suis.

Academia ad Bodleium defunctum.

Hydrops extinxit tibi vitam: sed tuus in me
Extinctus nullis est pius ardor aquis.
Nam cum animam Christo, mihi cetera cuncta dedisti.
Si mors munifica est, quid tua vita foret?

THO. FRENCH *Mertonenſis.*

Epicedium.

QVid rigido Parcas laceratis carmine, Vates,
Sæviat in ſummos quòd Libitina viros?
Parcite non Parcis parcentibus: Inclyta virtus
Per vos BODLEII neſcia mortis erit.
Aut ſi vos teneant nimis alta ſilentia, moles
Saxea, quam ſtruxit (*Bibliotheca*) canet.
Ergo agite, ô vates, gratiq; rependite vitam
BODLEIO, vobis quam dedit ille priùs.

Triſtes Iambos, triſte, ſed pium Carmen,
Plenus doloris fundo; lugeat pullâ
Totum Lyceum veſte; lachrymis Muſæ
Genas decentes irrigent, colunt ripas
Quæ *Thameſis*; Haud levem chorus Camœnarum
Sentit ruinam mœſtus: en jacent Artes
Fautore tali mortuo, viro docto,
Qui Solis inſtar, inter ſtellulas clarus
Affulſit olim literis revicturis
Perquàm benignus: occidens Chaos quantum
BODLEIVS affert! lachrymas ciet quantas
Luctumq; toti patriæ! modum neſcit.
Natale lugendi ſolum, citæ quâ nunc
Iſcæ pererrat unda, quòd virum talem
Amiſerit: *Mertônidum* Domus, clara
Doctis viris, hac orba prole deplorat
Sortem miſellam, fata dura, fortunam
Triſtem; Parens fœcunda ſtirpe quæ nuper,
Orbata Nato tam pio, politoq;

Ad

Ad publicum nato bonum, scholis grato,
Ornavit ipsus, quas superstes, & morte
Ditavit, it tota in pium, frequentemq;
Luctum. Prius seclum ferax bonis multis,
Non protulit talem, viris; secuturum
Faxit Deus producat: aut adhuc si quis
BODLEIVS alter vivit, vt velim vivat
Sanus, quot olim Nestor egit annosus
Seclis. Notat nigro Diem nefastum Aula
Carbone, quo sidus cadit micans nostri
Cœli: dolet casum, timet quid Heroum
Tam crebra mors prædicat, aut mali nostris
Portendat oris. Ordinis puto funus
Jam nunc Equestris ducitur; decus grande
Amisit; vltrà quid sibi boni speret?
Ast quid querelas fundo? quid refert flere?
Hoc quilibet præstat, dolor levis si vrget;
Ingens stupemus, non resarciendumq;
Damnum ordines omnes; juvat nec immanes
Mœstis Iambis nos novare ploratus.

EDVARDVS LEVS *in Art. Mag. C. M. S.*

Ad Musas.

QVónam vos abijsse putem, aut migrâsse, Sorores,
Cùm pius è vivis cessit BODLEIVS, amicus
Æternùm Musis? vobis tædæne jugales
Principis Jllustris FREDERICI, & vincula, curę,
Quum tam dulce caput morti liquistis acerbæ?
Culpa quidem minor, officium si tale volentes

De-

Detinuit, nequeo tamen excusare morantes.
Hic vestram melius causam pius egerat olim,
Cum BODLEIANAM extrueret, vobisq; dicaret,
Cùm libros daret, & reditu donaret opimo.
Heu pietas, heu prisca fides! quibus ille pepercit
Sumptibus, vt Musis sedem morientibus aptam
Fundaret, Divásq; ornaret divite gazâ?
Nam quàm illic locuples librorum copia, apésq;
Quæ circumvolitant agiles thyma! nam neq; *Romæ*,
Nec *Vaticanæ* tam surgit gloria; cedit
Regis opus *Pharij*, *Philadelphica*: *Thessala Tempe*
Haud tam præsentes poterant cognoscere Divas.
Hunc tamen atra dies letho dedit! hæccine merces,
Hic pietatis honos? fautorem deniq; talem
Linquere quîvistis, Permessides? hei mihi quantum
Oxonium decus, & quantum tu, Patria, perdis!
Sed quoniam immotis sedet hæc sententia fatis:
Hæc me nutantem, atq; animo diversa parantem
Sollicitat, recoquitq; imo sub pectore cura,
Vt quæ demuntur vitæ, sint addita famæ
Secula, nec seros lateant ea fata nepotes.

STVCK. BLICKARD *in Art. Mag.*

QVæ sit magni animi serena virtus,
Quæ resplendeat inclyto nitore,
Aut quæ nectareos ferens odores
Gratam spargat & hinc & inde famam:
Quam non ambitionis vnda mergat,
Quam non sordidior lues avari

Læ.

Lædat pectoris, improbus fur órve
Livoris maculâ refundat atri,
Sed contenta suis bonis abundè,
Nil addi cupit exteri coloris.
Si quæras orientis in recessu
Terras littoris Indici remotas,
Si quæras vbi solis occidentis
Lux nigrantibus inditur tenebris,
Tantam non datur invenire lucem,
Quam nullæ maculaverint tenebræ.
At verò hic potes invenire lucem hanc
Vno hôc nomine splendido, beato;
BODLEIVS facilè indicabit vnus
Quæ sit magni animi serena virtus.
Quantò illustrior hæc serena virtus
Est, & rariùs orbe nota nostro,
Hæc tantò potiùs dolenda sors est,
Nobis quam properantiore fato
Festinam tetricæ attulere Parcæ.

GVLIEL. SIMONSON *in Art. Mag.*

Ad Mertonenses.

QValis de Phrygij vertice Dindymi
Mater magna deum, (seu *Berecynthiam*
Mavis) Romulidas visere supplices,
Atq; vrbem Latij metropolim soli
Dignata, imperio rem simul & decus
Spondebas, niveâ numinis alite.
Talem certa fides te fore prædicat

Posſ

Postquam huc exuvias transtuleris tuas
Compostas patrio & condideris lare
(BODLEIE, ô Charitum & Pieridum parens,)
Talem qui Oxonium, remq; Academicam
Lætâ promoveas in melius vice
Omnes auspicibus dijs fore credimus.
Idæam sedenim quis *Berecynthiam*
(Gaudentem manibus Virginis accipi)
Quam quæ in Virgineo splendidior choro est
Ad delubra deum transferat hospitam?
Quisvè illos cineres, ah cineres nimis!
Aut blandi locet in pectoris arcula?
Perfusosq; mero (si licet) obibat?
Aut quis lividulis artubus oscula
Figat, quis lachrymis justius irriget
Quam quæ illum peperit mater alumnulum
Mertona? (heu maedis obruta luctibus!)
Noster frater erat, fratribus & pater,
Et patronus erat, qui Socius fuit,
Et quicquid reliquum, si pote dicier,
Nostrum est, reliquiæ, depositum, nihil.

Ad Academicos, de vaticinio veteri adimpleto.

Hoc ingens studium quod nunc viget ad vada boum
Tempore venturo celebrabitur ad vada saxi.

O Vatum pessime, qui boum Vadum bos
Ausus scilicet ore duro Athenas
Nostras dicere: plumbeus licèt fu-

Veri

Veri prodigium loquare, mirum
Omen! Vah vada saxa! fit dolore
Immenso Niobe ipsa, *Mater Alma*,
Bodlei tumulo, stupetq; marmor.

Sub hoc doloris velo contegitur
F. G.

Ad Poetas.

QVin quotquot estis vspiam poetarum,
Qui proluistis Fontibus Caballinis
Assuera numeris elegantibus labra,
Prodite nunc miselluli, atq; ad vnum omnes
Prodite, vah homunculi leves, turba
Vah mollicella, iners, inanis, elumbis
Gens, & nec vnum hoc assequi potens funus.
Prodite, si genij quid vspiam vobis
Superstit, ingenijve; Carmen afferte
Ad sacra vatum hęc improbum, novum, dirũ:
Madentibus signate verbulis stylum.
Aculeata vestra & insolens vena
Saliat, & eloquentia enthea hîc sese
Ostentet hodiè, vt imbre perluat denso
Genas liquentes perlegens nepos serus,
Et marmore ipso durius gerens pectus,
Oculosq; pumice arido magis siccos.
Vel hoc, vel æternùm silete mihi posthac.
Non est satis vestro legi frequens versu
Bodlei, & audiri sacrum pijs nomen.
Non vivit vllis artibus poëtarum,

Non aut politâ dexterâ Polycleti, aut
Manu Lysippi. Serviet lubens illi
Venientis vnanimis memorq; vox secli.
Loquetur illum mortuum, lapis vivus
Suus; loquentur lapide vivido vivi
Magis libri omnigeni, artium omnium docti
Interpretes, & omnium periti queis
Homines deiq; vtuntur vspiam linguis.
Non est beatus qui suarum habet laudum
Prœconem Homerum, credite hoc mihi, nō est.
Beatus ille est, qui suarum eget laudum
Præcone Homero nullo, & ille cujus nec
Præconio par est Homerus, omnisq;
Cæcutientis æmulus senis cæcus;
Quemcunq; supra omnem ingeni aleam nostri
Et vera virtus posuit & favens numen.
Qualem vel olim vidimus, gementesq;
Deflebimus diu optimum decus nostrum:
Vel nuspiam cunctis videbimus seclis.
At ille tantus vltimum diem clausit.
Vos interim, invisum genus, poëtastri,
Odiosa dijs, ignava, invtilis turba,
Digni nimis perire, vivere indigni,
Vivitis adhuc, silentióq; (proh!) turpi
Mortalium optimum perire, siccumq;
Mitti ad silentes pallidosq; Summani
Cives sinetis, aut levi, prout moris
Vestri est, breviq; distichóve, threnóve,
Epitaphióve, aut lusionculâ, si qua
Contemptior minúsq; sit laborata,

In

Ineptuli leveſq; literatores,
Verbis ei paucis datis vale longum.
Quis interim antiquam recèns Odyſſeiam
Dabit, vel Iliada alteram, vel Æncida,
Summoſq; pleno carminis ſua ſponte
Fluentis alueo deos ab alto omnes
Deaſq; doctus machinator inducet
Noſtris loquentes verbulis? cothurnatas
Muſas mihi quis exhibebit in ſcena
Accentibus veris ſuaue cantantes
Nectar? quis Atticas deporibus puris
Beabit aures? ilicet bona periſtis
Studia, nec vllus nunc fluit ſacer divis
Fons, nec biceps Parnaſſus arteri plantâ
Solet benignâ. Aræ ipſæ Apollinis frigent,
Heliconideſq; nos bonæ reliquérunt.
Sic tu vel heros maximus, vel heróas
Omnes ſuper BODLEIE & omnibus major,
(Qui maximis magnum minis poëtis es
Thema, Rhetoribus idemq; & argumentum ingens,
Cui ſinguli ſuccumberent ſimulq; omnes)
Silentibus diſcedis inferis præda
Furtiva, nec ſatis celebriter voto
Conclamitatus vſq; & vſq; ſub cœlo.
Veniet tamen (falſus nec ipſe ſum vates)
Veniet dies, in quo tuis pares factis
Surgent poetæ, nacti Apollinem & Muſas
Magis ſecundas, verſibuſq; veriſq;
Feliciore illis liquor fluet verus.
Tuumq; ſidera ſuper omnia, omneſq;

Vltrà novæ nuperq; cognitæ terræ
Anguſtias nomen volabit, æternùm
Implens capacem mundũ, & ipſa diſrumpens,
Ferrea licèt, latera volatilis famæ.
Sic te beabit alma virgo Tritonis,
Tuis & artibus, tuis & impenſis
Celſâ locata in arce & ædibus ſacris,
Turritum ad aſtra ſublevans caput ſumma.
En parturire deæ incipit caput pregnans,
Novamq; dare, avibus bonis, tuiſq; (heros)
Sobolem auream. Siculus adeſt faber feruens
In opere. Apertis mox ſcholæ novæ portis,
Beata gens mortalium, Iovis plena
Proſiliet, omnes quæ ſcientiâ vincens
Quotquot fuerunt vſpiam poetarum,
Nobis inertibus, nec vllius, credo,
Capacibus dei, poeticóve actis
Furore deſuper, gravi notâ ſtigma
Invret infame, memoreſq; de ingratis
Et impijs pœnas dabit tuis vmbris,
Tuumq; nomen inſerens polo ſummo
Iovis reponet proximum, ſecundumq;
Bodinvs pijs vocabitur numen.

Epitaphium.

Pedem viator ſiſte; qui ad tumulum Viri
Tanti appropinquans, temporis
Parvi negat brevis & moræ diſpendium,
Improbus, inhumanus, ferus.

Sed

Sed nec quis istîc intùs adopertus jacet,
Fas est cuiquam quærere.
Nescire scelus est & piaculum tacet,
Illum sciunt deliræ anus;
Natus recèns infantulus nihil sciens
Scit illum, & in cunis crepat.
Qui nesciunt, sciunt. Scientia, pietas,
Sapientia, ingenium, & honos,
Quod nullibi mundus viduus habet, neq;
Vnquam sciet posthac, hic est.
Secli sui miraculum merum, stupor
Futuri & admiratio:
Mortalium decus vnicum, immortalium
Deliciæ, amor, ocellus deûm:
Ipissimus Veneris comes, decentibus
Lepidisq; cinctus Gratijs:
Novem Sororum Choragus idem, Apolloq;
Et Æsculapius simul:
Medulla vitæ, amœnitatis integer
Flos, literarius deus.
Illum nisi orbis scisset aliquando, omnia
Nescisset olim, & vltimum
Spirâsset eruditio, vitæ vnicum
Mortalibus solatium.
Quid jam viator? flere noli, lachrymas
Plenas remittimus tibi.
Gemitus tuos, inane murmur, næniam
Querulam tuam tibi & tuis.
Cui tota luctûs destinavit publicos
Pijssimaq; Academia,

Totusq; Phœbus, & Camœnæ, & Gratiæ,
Et quisquis vbicunq; est pius,
Privis cieri vocibus lessi vagi,
Aut indecens est aut nefas:
Nec publicum qui voluit esse se, & suum
Quicquid erat, orbis totius
Commune columen, vniversaléq; bonum,
Quocunq; flere licet modo.

Epigramma ad querentes cur nihil scripserit.

Cum plerosq; tenet scribendi infanda libido,
Nec scire est aliquid, ni sciat alter idem:
Cur nil scripsisti, (magne ô BODLEIE) nec orbis
Doctrinæ potuit conscius esse tuæ?
Tot modò linguarum dominus, totq; artibus ingens,
Tam pius ipse, nihil quod sciat orbis, habes?
Quin satis ille habuit, scripsit satis, omnia scripsit.
Plus nec mundus habet, plus nec habere potest.
Agnosco artificem: plus litera continet vna
Jllius, antiquo litera nota sono,
Quàm quisquam scripsit cunctis, vel scribere posthac
Ausit; quàm præsens integer orbis habet.
Vos libri innumeri, & millena volumina magnis
Conquisita illi sumptibus & studio,
Este mihi testes, & dicite, quàm benè multis,
Magnificéq; suis artibus vsus erat.
Æternâ scribenda manu pia litera, quæq; est
Temporibus multas vna datura suis.

Hinc

Hinc verba, hinc scripta, hinc vestris etiam artibus apte
Provenient celebres (nomina docta) Scholæ.
Dat Deus augurium felici nomine, Nomen
Inchoat illa tibi litera, & omen habet.
Primaq; cùm primi sit litera nominis, vna
Æterna æterni est nominis vmbra tui.
Huc agite ô juvenes, quod litera vos docet ista,
Discite: fat vobis, si sapiatis, erit.
Ni sapiatis, erit nimium: namq; illius ijdem
Vasti qui mundi termini, vterq; polus.
Vltrà quum nihil est, veto quis tentaverit vltrà.
Et certè hæc longa est litera, vita brevis.

Dedicavit SAM. IOHNS.

RVre quid Oxonium revocat miraris? amœna
Arva, situs, fluvij? rus habet, arva, situm.
Num schola diruitur, num concio, lectio sacra?
Lectio, rostra, scholæ quàlibet vrbe vigent.
Num grave colloquium, num pileus, ordo decorum?
Testor in hospitijs hæc *Litterae* tuis.
Num gradus & lauri? soror has Academia confert.
Semina doctrinæ? Regia messe scatet.
Ergo quid Oxonij? sua bibliotheca: sed erro,
Non sua; BODLEII biblia, theca sui.
Non Ducis HVMPHREDI vestigia, non liber, vnus
BODLEIVS fabricæ *Tau* fuit, vnus *Aleph*.
Cæca superstitio fucis & inertibus escam
Corpoream Monachis, & sua claustra parat.

Ex-

Exercet Bodleyvs apes per prata librorum,
Ac animi dum lumen, acumen alit.
Non ego *Wicleuum*, *Scotum*, *Bradwardin*, & *Occham*
De *Mertonensi* jacto fuisse domo.
Iam disciplinæ patronos atq; parentes,
Auratos Equites, Mercuriosq; parit.
Iam scio cui muri structi, cui Porticus alta,
Quas patet in laudes area tota receris.
Bodleii excipiat manes, non hospite digna
Est casa, non veteris squalor & vmbra domus.
Quin fundatoris cineres transferte Sodales,
Germen vt amplexu tale fovere queat.
Roffa obscura nimis, monumentum condite lautum;
Condite jam propius, Roffa remota nimis.

Ioh. Elle *in Art. Mag.*

Fons lachrymarum perennis.

PHoebe vale, atq; alias collustres lampade terras,
Imos si placeat (Lucifer) Antipodas.
Quid mihi cum Phoebo, noctis qui dissipat vmbras?
Iudice me, posthac lumine cassus eat.
Sola placet nox atra mihi; nam quid mihi prosit
Longius in tanta viuere moestitia?
Siccinè carnifici vates superesse dolori
Nascimur? vsq; novas cogimur in lachrymas?
Tot flendo hebdomadas, tot per suspiria menses
Traximus; atq; iterum cogimur in lachrymas?
Hoc fato Bodleiane tuo, quod fons lachrymarum
Noster inexhaustas ejaculetur aquas.

Ve-

Verum est: irriguos lachrymis corrumpit ocellos
Hic dolor: & scatebrâ guttula nulla manet.
Guttula nulla manet? fallum est; mihi decidit imber,
Qui cadat in cineres (ter venerande) tuos.
Lugendoq; semel si fortè absumpsimus imbrem,
Mille alios duro cogimus è silice.

Ad Pieridas cum Bodleio semimortuas.

Quò tandem laceræ leves Camœnæ?
Quas in delicijs sibi volebat,
Dilectas oculis magis tenellis,
BODLEIVS. Laceræ leves Camœnæ
Restatis trepidæq; pallidæq;?
Hunc jam condidit abstulitq; vestris
Et nostris oculis scelesta Parca.
Eheu permiseræ vagæ puellæ
Actum est ilicet, ilicet peristis;
Quò se contulit hic Apollo vester?
Quis jam thura dabit rosasq; (Musæ?)
Quis vos postmodò deperibit vnquam?
Eheu perlaceræ leves Camœnæ!

Lectori & Bibliopolæ.

Vnum lectori scriptorem edicere fas est,
Atq; vnum pariter, Bibliopola, tibi.
Tu ne turpiculis nova tegmina facta libellis
Carmina & in dorso perlegat Ille, cave.
Tu ne digneris nostra hæc invisere tergo:
Intus & in scripto carmina nostra lege.

IO. PHILIPSON *filius dolet.*

Epicedium.

"Quis desiderio sit pudor, aut modus
"Tam chari capitis? quis Thamesis genas
Nostras vsq; riget? vel lachrymas dabit
Tantæ mœstitiæ pares?
Bodleii cinerem parva premit strues
Et moles lapidum: cui tenoe aureus
Vitæ, cui similem munificentiâ
Ætas postera vix dabit.
Cunctis ille viris Mercurialibus,
Doctorumq; gregi flebilis occidit,
Longè flebilior *Mertonidum* choro,
Horum perpetuum decus.
Eheu prisca domus quod columen tui
Amittis decoris! quod tremulo sinu
Intùs vulnus alis! quos gemitus palàm
Profers! quos tacitè premis!
Prorsus nempe animo languida concidis
Singultusq; trahis semianimis, velut
Si Carthago ruat, vel celebris Tyros
Fulturis penitùs labet.
Tandem tristitiæ pone modum tuæ,
Et planctum reprimas: ipse ego videram
Tunc cum clara vigent, veraq; somnia,
Virtute egregium suâ
Mertoni Patris haud absimili modo
Scandentẽ æthereas & superûm domos,
Faustisq; auspicijs Magnifici Senis
Iungentem lateri latus.

Ox-

Oxonium si sis nostræ Telluris *Ocellus*,
Fleto age: habes meritò jam quod *Ocelle* fleas.

Δάκρυα τῆς Ὀξονίας.

Ὤμοι ἐμῶν παθέων! ὅς με τετρυπλα πόρευσιν
Εἰς ἄπορον πάλιν αὖθι κακῶν θεὸς ὀρχίλος ἀλγῶν!
Τέθνηκ' ἐξαπίνης ἀρείῃ μεγάλ' ἔξοχος ἀλλῶν
Ἀρχὸς ἀγακλέων, μήτε πόνων κεχρήμενα καιρῶν.
Ἀλλὰ μὲν ἄλλα θεοὶ δόσαν ἄλγεα ὑφαίνοντες
Ἀρδ', ὅτι μικρόζωϛ ΒΟΔΛΕΙΟΣ ἄρ ἔπλετο δῖος.
Εἰθε μοι ἐκ ἁλίης δρόμος ἤλυθε κυκλάδος ὄρνις,
Πεὶν γὰν ἐμοὶ τις δυσκελὲς ἀγγελίας ἔπος ὄισῃ.
Πεὶν κ' πῶς μύσαις βλεφάρων ἄπο δάκρυα πίπλεν
Εἰσὸν ὀδυρομένη, πῶς ἡ τεκάχοιλο Ἀθῆναι.
Ὡς ἄρα Ζεὺς ὑψιζρεμέτης ὃν ὑπέρμορα πάντες
Ὀψίμορον πόθεσαν θανέειν, ἢ πότμον ὑποδρᾶν,
Ὠκύμορον πίπτειν ὀλέθρῳ πεῖραθ' ἑκάστῃ.
Οὐλε μόρας θανάτοσεν ἄρ' ἄψ' ὑπαίνυλο γόσον,
Κἂν μή τις βασιλεὺς πάντων, ἢ ἦϝ' ϝεπάεσιθεν
Εὐγενέων ἕτερος, μεγαλώνυμα δώματα μύσαις
Τοῖα θεῷ δυέδωκε φίλαιστ' ἐεικυῖα δῶρα.

ΒΟΔΛΕΙΟΣ πρὸς τὴν Ὀξονίαν.

Τέτλαθι μῆτερ ἐμὴ θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέυσα,
Πᾶσι Διὸς κρίναντ' ἄπ' ὀλέθρῳ ϕῶτες ἔπεσαι.
Ὡς πυμάτῃ πάντων ὠκύδρομος ἔζετο ἄρπη,
Ὡς κ' ἔχασι γένυς πλόον μ' ϝεπάπρα πάντες.
Βραχυτελὴς πρὶν ἐών, ὡς εἶπες, ἄφρων ἀπλόον,
Οὐχ ἔπτυον θυήσκων, ἀλλ' ὑφρόθ' ὑπὸ ϝέρθεϊ
πῷ ϝεσφὺς ἔχομαι, θανάλωτος ἥματος ἔργον
Μοιρίδιον κ' ἐμοὶ κ' ἐμοὶ κεχαρίσμενον αἰεὶ
Γηθόμενος φρεσὶν, εἰ μὴ ἐμὸν πενθήμαθ' Ἀθηνῶν
Ἅπλετα θυμὸν ἵκηϝ', ἄρ' ὣς μ' βαρυσοναχῆσις
Ὀξονίας λύπησε μάλ' ἄλγεά τε στοναχάς τε.

Ὡς ὅθεν ἡδόμενος καρπῶμαι χαρματ' ὀλύμπου,
Τέτλαλε περίδες μοῦσαι ΒΟΔΛΕΙΟΝ ἀπελθεῖν
Κηδόμεναί περ ἐοῦσ' ἀνέχεσθε τε πένθεα θυμῶν,
Μήτε παραστείχουσαι ἐμὴν στοναχήσαλε μοῖραν.

I. MORLEY *in Art. Mag.*

SIc BODLEIE decet factis extendere famam,
Dum prona in cineres pompa beata ruit.
Testes Pyramidum, quondam miracula, turres;
Nunc magni luxus ambitiosa strues.
Non rerum, ast hominum miracula fama perennat:
Quod perit, haud virtus vera, sed ambitio est.
Ergo tua æternum stabunt BODLEIE trophæa;
Stabunt invitis tempore, & invidiâ.
Perdere Musarum sedes, habitacula sancta,
Nec potis est ætas, nec potis invidia.

G. PETTY.

M*Ertoni* soboles magni, tantóq; parente
Stirps digna, *Isiaci* gloria prima chori:
Naturæ certantis opus, quo vincere sese,
Visa est, & vires exuperasse suas:
Os Patriæ, vindexq; tuæ, dum viva refulsit,
Fronte tuâ divæ Principis effigies:
Musis præsidiũ modò, nunc decus addite cœlo;
Quem dolet ereptum docta caterua ducem.
His titulis dignas noli expectare Camœnas;
Nec tua per tabulas nomina quære meas.

Tu

Tu ſolus poteras te pingere; ſolaq; mentis
Exhibet effigiem Bibliotheca tuæ.
Hâc cenſendus eris; legat hîc licèt orbis honores,
Quos gerit inſcriptos pagina quæq; tuos:
Æternùm creſcent illæ; creſcetis honores:
Bodleio & Mundo fax dabit vna necem.

At quòd carmine prorſùs impolito,
Pleno ruris, & inficetiarum,
Tentârit temerare ſacra Juſta,
Juſtè ſoluere, quæ tibi nequirent,
Quotquot ſunt Heliconiæ Sorores,
Quis culpabitur? Ipſe nam ſolebas
Sacris condere ſcrinijs poetas,
Illosq; auribus Atticis probatos,
Ne ronchos metuant maligniorum,
Illosq; aere craſſiore natos,
Ne ſcombris tunicas darent moleſtas.
Hinc eſt quod capiti tuo coronas
Doctas, Iupiter! & laborioſas,
Nectat Caſtalidum decus Sororum;
Hinc eſt quod capiti tuo corollam
Iſtam, heu! facilem parabilemq;
Nullo Phæbigenûm incitatus œſtro,
Nectat

Pessimvs Omnivm Poeta.

Atropos ecce furens Henrici ſtamina ſoluit,
Theſpiadum & triſtes modulantur carmina alumni:

Dein dominatur Hymen, lectus genialis in *Aula* est,
Atq; hinc turba togata suas variare Camœnas
Gestit, at incepti nondum est finita laboris
Tertia pars, cùm læta novo mœrore fugantur.
eunt hoc fa
BODLEIVS moritur; sed ordine ta,
Nec mirum hasce vices & nos & nostra subire.

Apostrophe ad Defunctum.

Quod medici nequeunt, permulta volumina præstant,
Φάρμακον ex istis ne moriaris habes.

Ad Oxonienses.

Mausolëa struat marmore splendido
BODLEIO Oxonium, carmina vel struat
Quæ splendent Pario marmore clariùs;
Ære atq; ore virûm fulgeat illius
Laus atq; effigies; Pierides ruant
Si nomen pereat, si tituli illius,
Cujus Pierides nomine, munere
Florent; & vigeant secula in omnia,
Quandò his hospitium, & clara palatia
Regum consimili marmore fulgeant.

TH. ALLEN *in Art. Mag.*

Nymphæ mœrentes.

SIc visum est? sic res dubio sors turbine nostras
Dira rotat? sic nulla adeo est sincera voluptas?

Com-

Comprimitur ſic nocte dies? ſic gaudia luctu
Perpetuo torpent? mœſtiq; ſubinde fluentes
Fundimus in lachrymas rivos? ſatis eſſe dolori
Nec poterant lachrymæ? quæ ſpes ſupereſſe dolori
Iam poterit noſtro? laxas diffuſa capillos
Triſte gemens, imoq; trahens ſuſpiria corde
Mœſta cupreſſiferis obnubit tempora ſertis
Iſiaci Matrona ſoli, &, (velut alma deorum
Turrigerum concuſſa caput *Berecynthia* mater
Felix prole ſuâ multosq; amplexa nepotes)
Vndiq; progeniem lachrymantem & multa gementem
Aſpicit, ac querulâ nimis impia numina Parcas
Voce laceſſentem, quod iam ſobolemq; patremq;
Vno ictu abſtulerint: multorum hoc funus acerbum
Inſtar habet, quòd multorum qui concidit, vnus
Inſtar erat: nimium ſuperis Parnaſſia proles
Viſa potens fuerat, ſalua hæc ſi dona tuliſſet.
Nec quiſquam *Iſiacæ* quondam de flore iuventæ
Spe ſic movit avos; tali fruitura nec olim
Noſtra, licèt plures optârim, terra patrono eſt.
Quantos ille ſuis gemitus, quantamq; ruinam
Deploraturis noſtrarum Atlanta Scholarum
Fecit! vt inſigni eſt virtus orbata magiſtro!
Quantus erat quem orbata gemit numeroſa propago
Aonidum, doctis portumq; aramq; beatam,
Artibus, & quaſſæ præbentem littora puppi!
Haud ergo immerito dejecto lumine Nymphæ
Suppliciter triſtes, & paſſis crinibus auras
Vitales ęgro ore rrahunt, & credere fas ſit,
Iam faſtiditæ faciunt ſibi tœdia vitæ.

In-

Inter quas (namq; illa ſedet jam maxima natu)
Mertonidum doctos retinet quæ Nympha receſſus,
Vt primum à lachrymis illi data copia fandi,
Abſterſitq; oculos, ſic alta ſilentia rumpit.
Quid primum querar? aut quæ flendi exordia ſumam,
Hinc atq; hinc diſtracta malis? num veſtra, Sorores,
Aut mecum mea fata gemam? nam & veſtra Sorores,
Fata movent, imiſq; premunt angoribus ægram.
Vobis munificum fata invidêre parentem,
Qui in fratres *Proculeius* erat: qui noverat vſum
Solus opum: totumq; ſuis ſe credidit ortum;
At mihi progeniem Parcæ invidiſtis acerbæ
Quæ vitæ pars ſumma meæ, quâ funere functâ
En ego jam meliore mei vix parte ſuperſtes,
Languida ſanguineo cerno mihi viſcera raptu
Avelli, & manare gravi de vulnere tabum:
Membra gelu coïere, atq; obrepentia paſſim
Frigora ſemianimes videor ſentire per artus.
Vt juvat inviſam iam pridem abrumpere lucem!
Quin tua de ſummo jacularis fulmina cœlo
In me magne pater? toties in lumina partus
Eduxiſſe novos voluiſti, vt partubus orba
Tot, velut infœcunda forem? totiesq; ſuperſtes
Ipſa, abrepta meæ ſentirem pignora vitæ?
Me ſi fatidicas velles viciſſe puellas,
Et Phlegetontęæ lugubria murmura ripæ,
Hanc prolem mihi ſervâſſes: ſat multa, ſuperq;
Fata tuli, atq; vmbris ſolui ſuprema meorum:
Non ſatis *Occhami* manes fleviſſe, piumq;
Wiclevum, & *Scoti* memet ſtraviſſe ſepulchro?

Non

Nonne *Gatisdeno* satis indoluisse, *Strodoq;*
Burlæoq; fuit? *Fitziamesijq;* cadentis
Perpetuo exiguas fletu humectâsse favillas?
Suitzetine parum tumulo incubuisse sagacis
Et nomen lachrymis conturbavisse subortis
Bradwardine tuum? nisi BODLEIANA viderem
Funera? & aspicerem solatia sola Senectæ
Rapta meæ? lux nostra fuit, BODLEIE, decusq;
Te penes: in te omnis domus inclinata relapsa est:
Te vis inferni rapit implacata tyranni?
Te gravis vrna premit? nec habet fortuna regressum?
Ipsa sequar, BODLEIE, eadem me fata manebunt
Quæ te cunq; manent: simul ipsa invisa relinquam
Lumina in æternis te ploratura tenebris.
Sic effata, premit tacitum sub corde dolorem.
Languentesq; oculorum orbes ad conscia torquet
Sidera, & amisso jam jam lapsura calore
Nutantem in tenues vitam exhalaverat auras,
Nî pia solamen perituræ turba Sororum
Ferret, & in laxas revocato sanguine venas,
Certa, sed incertæ differret vulnera mortis.

Alma soror, sic ipsa tibi, nobisq; peribis
Invida? sic vltro fugies, & nulla Nepotum
Spes reliqua est? animæ cecidit pars summa, fatemur
Penè animæ pars sola tuæ: sed & ipsa sciebas
Mortalem genitum: & quid nî tibi plura supersint
Pignora, quæ tanti vestigia, fortè sequantur,
Certa viri: caveantq; brevi virtutibus ævo?
BODLEIVM sic ante tuum, si prisca verustas
Vera refert, (sed nec BODLEIO digna merenti

Detrahimus) viguere tuæ speciosa iuventæ
Germina, quæ regno tulerant rebusq; togatis,
Lumen, & Angliacæ clavum tenuere carinæ.
Quid? quòd in angusto cohiberi cardine prolis
Non poterant benefacta tuæ: & nimis arcta patebat
In laudes terra Angla tuas? tibi *Gallia* quantum?
Quantum *Italæ gentes*? quantum est, licet æmula laudis,
Quod tibi concedunt magnæ Capitolia Romæ?
Quem sibi, quem nato felix [a] *Grysantus* honorem
Vendicat *Vrbano*: quem ornabant sacra verendum,
Syrmata Pontificem, Papalis & infula texit?
Atq; adeò *Kempus* rerum fastigia prensans,
Magnifici monumenta animi nova mœnia Musis
Condidit, hinc magnum surgit per secula nomen.
Quin & adhuc prægnans natorum, Nympha, coronam
Aspicis ingentem, quæ si fata aspera rumpat,
Te virtute suam est satis ostensura parentem.
Vnus præ reliquis superest, felixq; supersit
Ille diu, nostris decus & tutela Camœnis:
Qui pius infernis maternum nomen ab vndis
Vindicat, *Argoliciq; audit decor aureus orbis.*
Hæc & plura gravis solamina mœsta doloris
Oxonides Nymphæ referunt: quibus illa dolorem
Lenijt, & sensim vires animumq; recepit.
Tum verò irrorant lachrymis exangue cadaver,
Et cineri suprema ferunt, & corpus amomo
Perfundunt, tumulumq; struunt molimine magno,
BODLEIIq; novo signant in marmore nomen:
Vt licèt alba tuæ rumpantur stamina vitæ,
Gloria Tænarias fugiat secura tenebras.

[a] *Grysantus Socius Collegii de Merton. filium habuit* Vrbanum Quintũ, *Romanæ Sedis Pontificem.*

Ode

Ode parentalis.

Quæ te dolentis cura Academiæ,
Divine Bodley, certet honoribus
Ornare plenis? quisvè tanto
Digna viro monumenta ponat?

Te scripta talem? téne vetet mori
Ingens sepulchri marmorei decus?
Te? scripta per quem oblivioſas
Ipſa Erebi fugiunt tenebras.

Quid? tanta virtus nil lachrymis prius,
Atrâve maius nil meruit togâ?
Tam vile vix hunc ſeparabit
A populo moriente funus?

Imò, O beatum, cujus honoribus
Æquare virtutem eſt meritis nefas!
Laudare quem laus eſt: opimus
Vatibus hinc agitur triumphus.

Huc huc Camœnæ ſpiritus inclytæ
Contendat. O qui fontibus integris
Et rore crines proluiſtis
Caſtalio, ſuperûm voluptas,

Adeſte, vobis mortuus integrat
Bodleius ævum; nobilium locus
Vatum his paratur, ſcripta quorum
Te referent, memorande Bodley.

BODLEY, Mertonidum dolor decusq;
BODLEY, Mercurialium virorum,
BODLEY, deliciæ novem Sororum,
BODLEY, Pieridum sacer author arcis,
BODLEY, quem veneratus orbis omnes
Divos, non ita creditum, reposcit.

GVILELM. DICKINSON.
in Art. Mag.

QVi *Gallo* & *Belgæ* notus, sine carmine vatum
Tu satis *Angligenis* notus honore tuis.
Fallitur at, si quis te solum credidit *Anglum*,
Iussa Dei peragens Angelus *Anglus* eras.
Nam Deus Aonijs concessit larga Camœnis
Dona, tuâ voluit quæ peragenda manu.
Cumq; diu nostras sic te legâsset in oras,
In patriæ voluit regna redire tuæ.
Cœlum illi patriam quis enim non credat, Hebræo
Tam benè qui sanctos rettulit ore sonos.
At Musa indoluit statuam positura, fuisset
Ni satis in tumulum *Bibliotheca* tuum.
Illa & Apollineam tibi sacri pectoris aram
Fixit, Apellæam tu licet ipse tibi.

G. W.

Collegium Mertonense lectorem alloquitur.

NOn istîc Hecubam vides
(Lector) non Niobem: altera saxea,
Vecors sit licèt altera.

Me ſpecta, & miſerans, hujus, & illius,
Fletus dixeris aridos.
Amiſit celebres vtraq; filios,
Et multos priùs vtraq;:
Cunctos (progeniem ſi numeres ſimul)
Vni neutra Meo pares.
Specta tam miſeram (ſi potes) & ſile.

Colloquium inter duo flumina Oxonium ambientia: quorum alterum (Charuellus) nigris & tardis aquis prolabitur, alterum (Iſis) in duas partes iuxta cœnobium iam diruptum (Oſney vocatum) dividitur, ambobus tandem in Thamiſim coëuntibus.

Iſis Dic mihi quare *Charüelle* tardo
Laberis greſſu? tua cur per atras
Volvitur ripas aqua denigrato
Turbida vultu.
Charuellus. Nonne communis tibi nota clades,
Iſi? BODLEII tibi *Iſi*, ſoli
Mors inaudita? an tibi nigra ſoli
Fama pepercit?
Iſis. Mórsne BODLEII? potuere talem
Impiæ? tantum potuere? tantum
Ferreæ & talem potuere? & aufæ
Tollere Parcæ?

Charuellus. Niades raptis vlulant capillis,
Naiades ruptis lachrymant ocellis,
Naiades feſſis laniata tundunt
Pectora palmis.

Iſis. Hoc erat, cur me rapidi incitâſtis
Imbribus venti? hoc erat, *Oſniane*
Turgidum quòd me faceretis vndæ,
Dividuumq; ?

Charuellus. Ergò vicini coeamus ambo:
(Quod mare in tãtos ſatis eſſe fletus
Poſſit?) vniti ſimul in renaſcens
Flumen eamus.

Iſis. Eſto: ſed ſic vt mihi pulchrioni
Nomen ex illo liceat decuſq;
Sumere, & juncto *Thamiſis* deinceps
Nomine dicar.

Charuellus. Dicitor: nulli æmulus aut ſecundus
Dicitor: fluctus modò miſceamus,
Flumen in grande, vt lachrymis fleamus
Funus obortis.

Quid miri? moritur ſublato Principe, civis.
Dux obijt, Miles num ſupereſſe poteſt?
HENRICVM perimunt juvenẽ fata aſpera: qui ſic?
Hujus erat nimiùm grata juventa deo.
BODLEIVM rapuêre ſenem minùs aſpera: qui ſic?
Hujus erat meritò grata ſenecta deo.
Purpureas illi violas modò ſparſimus: atra
Nox ejus cunctis (heu) nimis atra fuit.

Lilia

Lilia BODLEIO ferimus: quia (candidus ipſe
Cum fuerit) Muſis vſq; nitere dedit.
Occidit (vt Princeps) nulli æmulus, alter, & impar:
Impar (vt civis) nec minùs alter obit.
Parce pio, lector, nimiùm eſt ſi gratus, amori:
Impar (vt Miles) non minùs alter obit.
Hoc quoq; ſi nimium eſt, fac prodeat ordinis hujus
Alter, qui factis ſic probet eſſe ſuis.
Sed neq; prodibit: Phœnix fuit vnicus ævi
Ille ſui. fuit? eſt. nam *fuit ille*, parum eſt.
Immò parum & Phœnix: Phœnicem ſecula tollent;
Tempora BODLEIVM nulla perire ſinent.
Spiritus ad ſuperos ortu cœleſtis abivit:
Terrea pars terram (nec tamen vſq;) colet.
Fama ſed immenſum nunquam moritura per orbem
Vivet, & *Oxonio* ſtante, ſuperſtes erit.
Vixerat hîc, jacet hîc: ſed ſic, vt ſurgere nollet:
Scilicet in chara contumulatus humo.
Hic inter geminas matres dilectus vtriq;
Accubat; *Oxonium*, *Mertonidúmq;* domum.
Vbera lactenti dedit vtraq;, crevit vtrâq;:
Vtriq; ex æquo gratus alumnus erat.
Gratus alumnus erat: teſtis, quam prodigus æris
Struxit, & inſtruxit, *Bibliotheca*, ſuo.
Bibliotheca ſuo nunquam inficianda parenti,
Par vna authori *Bibliotheca* fuo.
Gratus alumnus erat: Vos, (nondum, moxq; futuræ)
Vos eritis teſtes (conſpicuæq;) *Scholæ*.
Tu quoq;, quæ populo ſimul & rectore ſuperbis,
Tu, domus ingenijs ſemper amica bonis,

Tu

Præfortibus Collegii Mertonensis *fundatoris statua mitrâ sigillog, insignis ponitur.*

Tu (*mitrâ cerâq́,* insignis) testis abundè es,
Quàm verè dicam, gratus alumnus erat.
Gratus alumnus erat: quàm vox mihi dulcis *alumnus?*
Quàm mihi vox dulcis *gratus?* at illud erat.
Nec mihi dulce quidem, nec non mihi dulce, videtur:
Tam vellem, & nollem, dicere, *alumnus erat.*

Ad Collegium Mertonense.

I, tota in lachrymas, domus misella:
Amisti celebrem (fatentur omnes,
Omnes cum gemitu pij, & pudici:
Totus Pieridum chorus fatetur)
Cui paucæ parilem domus, priorem
Nullæ (livor abi; quid hæc loquentē
Toruè me aspicis ore inexpiato?
Vivis pascitor, abstine interemptis.)
Qualis vix fuit, est, eritvè: talem
Amisti, celebrem, inclytumq; alumnum.
I, tota in lachrymas, domus misella.
At cur in lachrymas? obivit ille,
Non verò perijt: perisse finge;
Quid prosint lachrymæ vè, næniæ vè?
Luctus exanimeq;, mortuumq;;
Possúntne è Stygia evocare Abysso?
Nec verò ad Stygios abivit ille
Manes: at rutilum petens Olympum,
Te Nutrice, oculis subinde quærit,
Quæsitamq; videt, vidensq; sic eā
Compellat miserè plèq; flentem.
Ne, ah, ne sic lachryma, domus beata;

Dul-

Dulcis tu (fateor) mihi fuisti,
Vtq; esses merita es, sed hic morari
Nec me fata sinunt, nec hinc abesse
Sic me, vel mihi, vel tibi indecorum est.
Quod *mortale meum*, tibi, alma nutrix,
Mando nunc abiens: *summq; cœlis*
Acceptum refero: tibi superstes
(Qui custodiet & fovebit) alter.
Hic auratus eques, mihiq; compar,
Nec gratus minùs hic, minúsve alumnus
Cum te conspicuam magisq; claram
Olim reddiderit, *Chrysostomoq;*
Os ipsi magis aureum refingens
(Nec fingens) dederit, nec hoc minores
Partus ediderit, libens ad astra
Tolletur: ferieq; tu (sorores
Quod non invideant minùs superbæ)
Summo sidera vertice. Ergò ne sic,
Ah, ne sic lachryma, Domus beata.

ANDR. BIRD. *in Art. Mag.*

PHæbus in immenso, parvo BODLEIVS in Orbe,
Orbem terrarum Lumine vterq; beat.
Lux minor est Phœbo: Sic Te, (Thymbræe) Diana;
Teq; (Soror Phœbi) Lucifer ipse minor.
Phœbe, per Occasus nobis alterna ministras
Lumina: perpetuum *Delius* iste diem.
Phœbe, Iovem fugiens, vultum sub nube recondis:
Semper in hoc *Albo Delius* iste micat.

Quid tibi si vitam (Smintheu) debere feramur?
A nobis, vitæ vita, Minerva facit.
Regia sit *Solis sublimibus alta columnis*;
Sedibus in nostris Regia summa Iovis.
Victor eat Phœbus per tot capita alta ferarum:
Plura sub, & nostro, Nobiliora, iugo.
Si numeres radios, & per quæ Regna recurras;
Nos Regimus, nostris Regna minora stygis.
Phœbe refer Pharetramq; tuam, Succosq; lyrāq;:
Artibus à nostris, salva sit ipsa salus.
Si tibi laus Delos, Deus aut in vtroq; parente:
Oxonium, & Cerebrum, Gloria nostra, Iovis.
Pro sterili Lauro, pingues hîc Phœbus Olivas
Inveniet, Nardum, Balsama, Thura, favos.
Dum Nioben narras, & tot tua Monstra, Chimæras:
Nos, quibus eversa est Hæresis, Arma Damus.
Vltima lis superest; litis victoria; cœlum:
Hîc quoq;, quà Phœbo non datur ire, sumus.
Sternitur hic Titan: Magnis Pater excidit Ausis;
Excidit hîc Phœbus, cum Phaëtonte suo.
Vidit, & invidit Phœbus; Cœloq; potiri
BODLEIO fati munere, fecit iter.
Fata mei iuris? fatum quoq; vincere tenta!
BODLEIVS, possum vincere (dixit) obit.
Ergò ego (Phœbus ait) post hæc quoq; vulnera vincor?
Esse hominem vetui: Præmia pœna dedit.
Sedibus in patrijs, Animis comes ergo beatis,
Parte tui, Cœlum, sed meliore, tenes.
At Cinis, & Flammæ (*Tua Bibliotheca*) perennes,
Parte tui, in terris, vlteriore, manent.

De-

Deniq; cum nec erunt Phœbo, nec lumina Phœbę,
BODLEIO, æternæ Gloria lucis erit.

A. B.

QVæ modò lætifico pulsabat pollice chordas,
Felici sobolis dote superba suæ:
Anxia jam tristes diffundit Musa querelas,
Et dolet immensis languida facta malis.
Fletq; magis, quod flere satis non possit ademptum,
Et par sit damno nænia nulla suo.
Crudeles superos, crudelia Numina Parcas
Clamat, & Aonias mœsta relinquit aquas.
BODLEIVM ingeminat, BODLEII in nomine sistit,
Et dolet in sobolem fata valere suam.
Sæpè ædes structas, sæpè insicia pectora labis
Ingerit, & claros (nomina magna) patres:
Nec tamen has ędes, nec candida pectora, cernit,
Nec genus, infernas posse movere deas.
Parce tamen miseros frustrà diffundere fletus,
Non opus est gemitu, sedula Musa, tuo.
Horrida BODLEIVS compressit vulnera mortis,
Sideraq; exuto corpore summa colit:
Quæ dederat Brutus, posuit sibi vulnera Cæsar
In lucro, in cœlum sic patefacta via est.
Candida BODLEII secuerunt fila Sorores,
Vt petat Æthereę culmina celsa domus.

I deone avarum cœlum? et iratum Iovis
N umen, minaci qui regit fulmen manu,

O ras ruinâ lugubri vt noſtras premat,
B uſtumq; ditans nos relinquat perditos?
I nfauſta Nemeſis, dic precor, quodnã ſcelus
T am luctuoſam devocat ſtragem Polo?
V os Cœlites an efferos durus querar,
M undi ſuprematúmve arbitrum ſævum nimis?
D ictu nefas; nos maximè hoc dignimalo.
O rbos relinqui præſide Aonidum pio.
M utavit ille cœlico terram ſolo:
I llum ſupremo collocavit Æthere.
N ullo tacenda ſeculo pietas ſua
I nſignis. Ah quantum ſacrata civitas,
T onantis hoccæ funebri gaudet rogo?
H ìc nos dolemus næniâ & planctu gravi.
O lubricas rerum vices & ſpes breves.
M ortalium peſſim datas caſu levi!
Æ terna dudum Palladis gaudia fore
B landè putâram, donec illius jubar
O cciduum, & huius corporis ſenſi decus
D udum peremptum conditum cippo levi.
L achrymis decentes irrigent nymphæ genas,
E t ſi quis ipſas fortè lachrymari dolet,
I lle lachrymarum huc ſymbolum pius ferat.

Lugens poſuit R. HAVVLEY *in Art. Bac.*

TRiſtes Iambos hùc vocat triſtis dolor:
At triſtiorem concitat dolorem amor.
Amor tui, BODLEIE, lachrymas exprimit,
Amor tuus, BODLEIE, lachrymas provocat,

No-

Noſtro dolori num quis adferat parem?
At hôc magis dolendus eſt noſter dolor,
Amore quòd tuo minor ſit hic dolor.
Tam grandem amorem quę vidêre ſecula?
Tã gratũ amorem exempla quæ produxerint?
Virtus perennis, & alma Natura optimè
Videntur hic certâſſe tanto in pectore:
Superior at virtus in hoc certamine,
Ictu potentiore finxit inclytum.
Hoc pectus, & traxit ad imaginem ſui.
BODLEIVS ergo pectus exuit viri
Privati, & animos altiores principum
Sumpſit virorum, celſior quos ſpiritus
Attollit, altaq; locat inter ſidera.
Quocunq; ſe vertiſſet hæc virtus potens,
Dediſſet alti ſpecimen ingens pectoris,
Quæ tota ſe in noſtras Athenas verterat,
Suos amores totaq; in nos fuderat.
Extincta virtus tanta? penitúsq; occidit?
At nec poteſt perire virtus, fortior
Fato ſupremo; nec dolor noſter perit.
Quod ſi dolorem ſerus imminuat dies,
At noſtrum amorem nulla ſecula arguent,
Dum flammeas ſol altior ducens rotas
Sublimioris exerit curſum Poli,
Seſe tenebunt mutuis amplexibus
Tam rara virtus, tarus *Oxonidumq́*, amor.

GVIL. SELLER *in Art. Bacc.*

LVgubres lustrare rogos, et litibus orba
Atria Pegasidum, desolatosq; Penates
Dicere, et infernas, crudelia Numina, Parcas
Pollice quæ duro fatorum stamina ducunt,
Mens invita jubet. Quid enim nisi triste juvabit
Condere, luctisonâ cum nil nisi triste per vrbẽ
Occurrat, plenæq; sonent plangoribus ædes?
Dicite, (vos etenim sensistis vulnera) mœstę
Aonides, Phœbęa licet vox rauca recessu
Mugiat, & gemibunda chelys ferale gemiscat,
Dicite, Palladii quæ sit nova causa doloris,
Et quæ tanta gemant pullatæ funera Nymphæ.
Quæ modò mellifluo felix spumaverat alveo
Isis, et *Angliacæ* sacrabat carmina *Nuptæ*,
Carmina digna Deâ, numerosi carmina cygni,
Mœsta silet, laxosq; gravi sub arundine crines
Condidit, et querulis lachrymosa obmurmurat vndis.
Iamq; nouo intumuit per amœnas gurgite valles
Plena: sed hunc Helicon lachrymarum flumine largo,
Et salsis augebat aquis quas pignus amoris
Grata Meduseę fundebat turba puellæ.
Illa etenim miseros BOLLEVI exterrita longè
Agnovit gemitus, vitam exhalantis in auras.
Inde sinus, atq; inde leves laniata capillos
Indoluit, prolemq; gemens Helicone relicto
Invisit, gremioq; labantia membra refovit.
Post vbi nil lachrymis, nil feduliratis amore
Profeciſſe videt, petit atria summa Tonantis
Ad patrios revoluta pedes, paulúmq; morata
(Nam dolor obstruxit vocem) pro munere vitæ

Sol.

Sollicitat, precibusq; Deos & fletibus orans
(Fletus enim precis instar habet, gemitusq; querelæ)
Surda repercussis obtundit Numina votis.
Iuppiter exactæ scrutatus tempora vitæ,
Ingemuit, non posse minis, non posse moveri
Se precibus, virefq;, hoc primùm tempore, fati
Esse graves queritur, nullóq; à Numine flecti.
Tum verò miseros nec quicquam exuta dolores
Musa furit, vexatq; Deos, vexatq; silentum
Atria, & æterni jus irrevocabile Fati.
Sic quondã Heliades, minùs auditura querelas
Astra fatigabant miseræ, fratremq; peremptum
Poscebant superos, lachrymasq; & inania morti
Non profecturos libabant munera fletus.
Tandẽ Heliconiadas sic inter torva tuentes
Vranie, (quâ sæpe sui didicêre magistrâ
Mertonidæ radio, cœli signare meatus,
Et solis, lunæq; vias, gelidosq; Triones
Dicere, quo soleant gyrari sydera lapsu,
Bellorum quę flãma minas, quis fata Cometes
Significet, quâ lege ruat nimbosus Orion)
Mœsta genas, terræq; oculosq; defixa (profari
Nec citiùs gemitus, præfractaq; verba sinebãt)
Singultante graves effudit pectore voces.
Sic visum est? sic casta fides, pietasq; benigna
Luditur? hæc tali accesserunt munera vitæ?
Quælibet Aonias per me colat altera ripas,
Suavisono toties modulatas carmine ripas,
Mertonidûm curam per me gerat altera, quorũ
Docta Cleanthæam semper spirantia frugem

Cul-

Culmina, me *Edwardus*, magno conamine Primus
Fundantem vidit, stabiliq; in sede locantem.
Ipsa ego *Suitæorum*, sinuosaq; pectora *Scoti*,
Argutamq; *Occhami* aciem, mentemq; *Baconi*
Dædaleam finxi, quos longâ nocte silentes
Vrna premit, nec quicquam illis mea munera profunt.
Me duce BODLEIVS, majorum exempla secutus,
Quosq; sequebatur, superans, velut Ægea Theseus,
Emicuit, nevè vlla suæ sinat æmula laudis
Nomina, se solo vinci victore fatetur.
Hunc tamen immites mundo invidistis ademptum
Dij superi? Charæ nec quicquam pignora mentis,
Nec quicquam pietas fœcundaq; profuit ætas?
Ergonè regalis legatus pondera molis
Sustinuit toties, doctisq; idiomata linguis
Calluit, vt tantæ premerentur funere dotes?
Ergone turritas tantis conatibus arces
Condidit, et nobis penetralia sacra Camœnis,
Quorum à fatidico Phœbi cortyna recessu
Mugiat, vt parvo tegeret brevis vrna sepulchro?
At fore BODLEIVM memini labentibus annis
Promisisse Deos, qui immensæ lumina terræ
Panderet, et medium fatis ostenderet vnguem.
Ergò agite, ô Divæ, quicquid Libitina malignum
Evomit, & Stygio frendet Proserpina vultu,
Ne moveat. Felix incisum adamante perenni
Nomen erit, doctæq; pijs cultoribus artes
Dùm meritò atrident, seri monumenta Nepotes
BODLEIANA canent, & quà terram alluit vndis
Amphitrite, erit ampla sui mensura sepulchri.

Dixe-

Dixerat: vnanimiq; vltrò pietate benignæ
Confremuere Deæ: et terrenos corporis artus
Telluri referunt, bibulæq; extrema favillæ
Persolvunt, largoq; effundunt pectora luctu,
Ast animam, æthereas, quæ pars divinior arces
Noverat, Vranie rapuit, nec in aera solvi
Passa, levi tractu, radiantibus intulit astris.
Iamq; vbi diffusus contraxit brachia Serpens,
Emicat, & gelidos felix Cynosura Britannos
Despicit, vt semper stimulos ferat æmula virtus.

Qui faciles tentat lascivo pollice chordas,
Lætificæ peragat nobile mentis opus.
At mea squalentes modulata est Musa querelas;
Vt fieret fato concolor illa suo:
Bodleiiq; Vmbris, non nuncupat ista legenti:
Vnde oculis nimium, Manibus vndè parùm.

Vani poetæ falsa tribuistis nimis
Cygno cadenti munera; vt præter vada
Premente fato dulce moduletur melos:
Cygnæa ripas turba quæ Isiacas colit,
Peritura languet: nec tamen præter vada
Premente fato dulce modulatur melos.
Fallor: poetæ vera cecinistis: levi
Spirante Zephyro concinit Cygnus: silet
Zephyro cadente: noster & Zephyrus, diu
Lætum benigno rore qui afflavit solum,
Cecidit cadente, rauca vox Cygnis sonat,
Interq; raucos Anseres Cygnos strepunt.
Obstructa laticis vena Pegasei perit,

Phæbiq́; , luctu ſtridulum ſiſtrum gemit.
Hinc, inde, nobis mœſtus exundat dolor,
Geminuſq; luctus, Magne, dum querimur tuũ
BODLEIE fatum, funus in fato tuo
Noſtrum gemendum eſt: Nympha, Mertonidûm domos,
Doctum & receſſum quæ colit, prolem fleat,
Eademq́; patrem. Muſa patronum fleat,
Eademq́; alumnum triſtis. Et fleret lubens,
Tanto ſuperſtes eſſe ſi poſſet malo.
BODLEIE tamen hoc cedat in laudem tuam,
Tecum vigebat Muſa, quæ tecum perit.

G. HIGGES *in Art. Bacc.*

QVæ denſa ſtrinxit, vmbra Mertonidum polum,
Et nocte longâ condidit Titanicum
Iubar, recenti vt torpeat luctu rudis
Calamus novo reverberans plectro chelyn?
Pudica Muſa, num ſiles? nihil crepas
Incude dignum, vel notâ cenſoriâ?
Limamq; detrectat verecundus dolor?
Effare, num præſtruxit omnes venulas
Stupor nefandus? lachrymę vocem negant?
Satagis nec vſq; & vſq; longis fletibus?
Num vena prurit? nullus eſt flendi modus?
Sed pompam amictu repetis atro funebrem,
Et inquieta eviſceras præcordia?
Quid? duplicatis nos laceſſit ictibus
Libitina, funus alio & vrget funere?
Vacet vt dies mœrore nullus, ſed pari

Filo

Filo in triumphis ingerit fletus novos,
Rotâq; dubias librat ambiguâ vices !
Totus repentè in lachrymas, totus fluam.
Flere? hoc parùm eſt; vires & ingens promere
Dolor? parum illud; nullus eſt iſthic dolor
Cui lachrymæ ſtillant: Satin' tibi foret?
Vel purioris Suada vocis artifex,
Magni parentis dum litabit manibus ?
Facundus ille qui minùs cultus dolor,
Tantoq; fuerit & laboratus magis
Quanto minùs ſapit Minervæ ſcrinia.
Quid plura? mentis occupat larem dolor.
Et fabricat repentè vultus lugubres,
(Cœcus faber) dum Nænias triſtes canit,
Vbere refundens rore ſqualentes genas.
Totus repentè in lachrymas, totus fluam.
Tunc lachryma multò operoſior cum publica;
Odit receſſus & lares arctos gravis
Dolor, ſui nec inris inſanus, loquax,
Obtexit aram, & caſtra Mertonidum pia
Verſatiliſq; ſemper impatiens ſui
Mutatur habitus; magnus eſt dolor procax,
Et quo magis reconditus dolor, furit
Magis; nec ingratæ vices dolentibus.
En bruta tellus hinc & hinc impalluit,
Ruentis inſtar viſa, cœperat tremens
Nutare, ſanctos cùm tulit tanti hoſpitis
Manes, Satin' jam flebili plectro foret
Noſtris lacertis ſacra rapta pignora
Lugere, quæ carpſit manu arbiter ferus,

Nec non hiantè dederat vrnæ victimam?
At ô sacratum numen! ô fax splendida!
O proximum Phœbo caput! nos perditi
Nos, nos Nepotes fecimus cœlum nocens,
Nec est piandum mille victimis, nisi
Atlas sacrarum magnus Aonidum ruat.
Totus repentè in lachrymas, totus fluam.
Potuit magis soror triplex? & vrnula
Totum capit? vel pars quota in cineres abit?
Animæ capax vrna? & sepulchro conditur
BODLEIVS? annè hoc vel piâclum grandius?
Apagè, corollas mille cui connexuit
Cohors sacrata virginum, & quicquid parens
Natura largâ vbiq; sacrâvit manu,
Venâ & benignâ copiam effudit suam;
Cui hospitale pectus, & mens purior
Arcana Pithûs obserans mysteria,
Iunonius puer, Veneris almæ nepos
Medulla Cerebri Iovis, & omnium stupor,
Hic præda fiat vt sepulchris invidis?
Totus repentè in lachrymas, totus fluam.
Ecquis refinxerit nepos Iapeti,
Incude vel Iovis, novum hospitem ætheris?
At sera nobis vota destituit Deus,
BODLEIE, & vmbram non tibi, nobis creat.
Dolor faceslas, quicquid in nobis viri est,
Ne obnixiori emascules fletu, nimis
Aut imbre largo; dumq; purpureus dies
Vtrâmq; clarâ spectat Oceanum rotâ,
Æquor per altum & igneos currus agit

Phœ-

Phœbea lampas, dum ſtat ara Palladis
Diis referta fructibus tui ingenî,
Perambulabis aſtra fidus aureum.
Macte tamen; extrema mei amoris pignora,
Votiva thura reddo, & amplexu vltimo
Avidos dolores ſatio; Muſa & lachrymans
Doloris atrâ paginam obduxit notâ, &
Quòd non dolet ſatis, dolebit hoc magis.

Ecquis funereâ calamum bis tinxit in vndâ,
Vt nova progenies lachrymarum creſcat in orbem?
Nempe hoc aſſiduè? nigro tentoria panno
Virgineum Chariteſq; chorum, laceroſq; penates
Cingunt? triſte melos plectro meditantur eburno?
Alcides vatum labor eſt; hunc Græcia plenis
Paſſibus in cœlum vexit: melioribus actus
Bodleivs ſtimulis, puroq; excocta metallo
Corda habuit, validis qui ſtruxit nixa Columnis
Muſarum Hoſpitia, & dotavit divite Gazâ.
Tot monumenta virûm magno congeſta Theatro,
Sumptibus immenſis, multorumq; erutalongo
Carcere donavit, Muſiſq; cubilia ſolus
Sacravit, quæ ſera rependent poſtera ſecla.
Ille vacillantis fulcrum columenq; Minervæ,
Vbere fœcundo teneros lactavit alumnos.
Te ſine Zenonis latuiſſent ſcrinia, magnum
Crantora quis noſſet, demorſoq; vngue Cleanthas?
At quid plura? opus eſt Radios attexere foli?
Si mihi Caſtalij latices, vel lingua ſacrati
Vatis, & inſolito trutinarem carmina filo,

Aut voci famulas præberet Pegasus alas
Sydereum per vtrumq; polum, Hesperiumq; cubile,
Vel mea Parnassi scatebris deducta virentis
Verba forent, triviali nec percussa monetâ,
(Marmoreum pectus! tripliciq; rigentia ferro
Tempora!) vix potuit tandem solvisse suprema
Symbola tristitiæ, devotaq; justa sepulchro.

In Bibliothecam Bodleianam.

An septena putem toto miracula mundo?
Octavum quid ni Bibliotheca foret?
Quò magè comprimitur luctus, suffixa dolore
Ad lachrymas Musa est ingeniosa magis.
Dumq; manum è rabulâ, duplicato Musa lacessit
Verbere, nec flendo novit habere modum.

Ludit incertis vicibus potentis
Arbiter fati (dabit & supremam
Prima lux) ævi celeriq; filum
Cardine versat:
Arcta sic gyro breviore currit
Vita mortalis, placitumq; Parcis
Impari vt ductu revoluta scindant
Pensa Sorores.
Ah nimis sensit volucrem ruinam
Flosculus vernans, superûmq; proles
Sacra! nec totus tumuli capacis
Victima nigra.

Pal.

Palladis myſtes, columenq; noſtrûm
Occidit, fulgens radiantis ævi
Gemma, quæ ſtellas rutilâs minores,
Lumine vicit.
Luget infandum geminumq; fatum
Orpheus chordâ reſonans canorâ
Atq; vocalîs duplicatur echo
Funera plangens.
Mœſta præcedit juvenum carerva,
Atra nympharum ſequitur Corona
Pectus incertis feriensq; palmis
Triſtis Apollo.
Phœbus intonſos reſecat capillos,
Ingemit, vanos repetensq; planctus,
Infimos, ſummos pariliquodictu
Vrna laceſſat.
Nec tamen ſentit generoſa virtus
Pectoris magni ſtygias paludes,
Navitæ diros patiturve manes
Enthea virtus.

HVGO RAMSDEN *in Art. Bacc.*

QVo moritur BODLEIVS, & vrnâ conditur, iſto
Muſæq; & Charites interiêre die.
Hoc ego jam dudum ſenſi, quia nempe vocanti
Sæpiùs ad numeros non venit vlla meos.

ED. TRELAWNY *Equitis Aurati fil.*

Quid

QVid monstri, ô superi? penè obmutescimus, & vix
BODLEIO incompta hæc paucula verba damus.
Nec jam respondent nostro verba apta dolori,
Nec verbis lachrymæ, nec lachrymis numeri.
At res ille dabat nobis, facundaq; rerum
Verborumq; deas, numina sacra dabat.
Omnibus ille dabat numeris magna omnia: sed nos
Vix illi incompta hæc paucula verba damus.
Mortuus ille igitur loquitur viventia: vivi
Mortua, verba damus nec bona; *verba damus.*

GV. NEVILE *Equit. Aur. Fil.*

SIdera jam pietas repetit, deductaq; cœlo
In patriam remeat, cœlica regna suam.
BODLEIVS felicem animam, cœlo, unde recepit,
Reddidit; in terris corpus inane jacet.
Tam dulces potuit comites divellere Parca?
Nec verita est sacrum mors violare caput?
Vixissent comites simul, & simul astra petissent
Corpus, & egregij spiritus ille viri.
Sic est: proq; anima BODLEIO fama relicta est:
Astra petent olim corpus & illa simul.

GRIVELLVS GIBBES *Aquit. Aur. fil.*

Ad Bodleium qui, ne magni pretij monumenta sibi ponerentur, testamento cavit.

CVr monumenta strui tibi nolis clara? nec æris,
Æternùm vt vivant nomina, quæris opem?

Nem-

Nempe tibi ſtruis hæc, dum Muſis tecta; loquuntur
Hæc meliùs dotes pectoris, ære rudi.

HEN. COLEPEPYR *Equit. fil.*

SVpremum quâ luce diem BODLEIVS obivit,
Gloria Phœbiaci delitiæq; chori:
Mutavit veſtem & crines laceravit Apollo:
Nec lauro croceas cinxit, vt ante, comas.
Scitari libet & facti dignoſcere cauſam?
Lux erat hæc Clario nempe nefaſta Deo.

GVIL. NEVVTON *Generoſus.*

INgens laude virûm, meritis ingentior ipſis,
Quem ſuper eximium ſtirpis genus, inclyta clarat
Gloria clarorum ſtudiorum, & pectoris alti
Munera, quæ populos latè diffuſa per omnes
Admirans colit orbis, inops & turba Scholarum,
Quorſum adeò feſtinus abis tellure relictâ?
Cur ita fulmineo petis ardua ſidera curſu?
An quod nec rapidis fas quenquã obſiſtere fatis,
Terra nec vlterius, cœlo indignante, valebat
Tantum ferre iubar, tam rarum, ac nobile ſidus?
Quod mortale fuit mors eſt depaſta, ſed arces
Spiritus æthereas, & fortunata piorum
Regna colit. Tales flere ô muliebria ſunto.
Fas, BODLEIE, pias, per carmina læta, per hymnos,
Virtutes memorare tuas; prudentia nulla
Te fugit condigna viro, quem laudibus altis
Aptavit vivum veneranda & vivida virtus.

R. MAYCOT *Equit. Aurati fil.*

SIt licèt interitura brevi farrago libelli
Hujus, BODLEII quo celebratur honos:
Æternùm tamen, æternùm victura librorum est
Theca, & quos illîc condidit ipse libros.

IA. WROVGHTON *Generosus.*

In obitum T. Bodleÿ Equitis Aurati, non ita multùm post Illustrissimi Principis mortem vitâ functi: cujus insignia 3 coronis ornata hunc habent titulum. QVARTA PERENNIS.

NUm tibi ne eriperet *Princeps*, BODLEIE, Coronam
Eximius, metuens pergis & ipse mori?
Illius ante tuum lugendum exiverat vrnâ
Fatum, cujus adhuc mœsta favilla calet.
Nec tamen invideas tu primos *Principi* honores,
Sed placeat, tanto te præeunte, sequi.
Hanc tibi perpetuam referent tua fata Coronam,
Vt possis tanti *Principis* ire comes.

W. BETHAM *Generosus.*

EXequiæ, BODLEIE, tuæ, quascunq; paramus,
Doctas merentur lachrymas.
Scilicèt indocto dum calcant secla furore
Divinæ alumnos Palladis,
Evulsos tumulis æternâ luce reponis,
Offersq; vivos posteris.
Ægiacas moles, insanaq; Mausolëa
Cesset vetustas tollere:

Stat

Stat Muſis ſtructum noſtri *Iſidis* ad vada templum,
Memphiticis auguſtius.

GVIL. BROVNKER *Armiger.*

Anagramma.

THOMAS BODLEVS
Sol Beate Domus.

PHœbus inocciduâ dum luſtrat lampade terras,
Clara ſatis lætus lumina mundus habet.
Lux quoq; *Mertonidûm* quondam fatis ampla, *Beate*
Sol ſplendorq; *Domus*, te radiante fuit.
Aera ſed tenebræ obducunt, cum raptus anhelos
Phœbus in Heſperio cardine condit equos.
Nec mirum eſt ſi nos triſtis premat vmbra: *Beate*
Sol cecidit (nox eſt ſole cadente) *Domus.*
Nec tamen hæc animos perſtringant nubila, Phœbus
Qui cadit, Eois pulchrior exit aquis.
Quùm ſua ſubduxit BODLEVS lumina mundo
Emicat occaſu purior ille ſuo.

GVIL. ESSEX *Baronetti fil. nat. max.*

BODLEIVM miſeris quid deſles, Muſa, querelis,
Deſeruit noſtras morte quòd ille domos?
Namq; peregrinas totiès qui inviſerat oras,
In patriam res non mira redire ſuam.
Calluit Hebrææ divina idiomata linguæ,
Ne poſſet ſuperas hoſpes inire plagas.
Si cujas fuerat, vocis diſcrimina dicant,
Illum cælicolam credo fuiſſe priùs.

H. GVY *Generoſus.*

ERgonè te nobis ſupremum haud futilis author
Dixit obiſſe diem? nec habent tua fata regreſſum?
Vſq; adeóne fides pietaſq; inviſa? nec vllâ
Crudelis capitur virtutis imagine Parca?
Eſto: pedem obtutu poterat ſtupefacta referre
Pectoris egregij; poterat ſcelerata videri
Nolle, nec horrendæ numen ſubmittere culpæ.
Hanc tamen exequijs properantibus hora querelam
Arguit, & ſerum damnat levitate dolorem.
Imò agè, da lachrymas magis & ſuperaddita verbis
Flumina luctiſonis. Pieras jubet. Occidit ille
Quem noſtri meritò poſt ſecula multa nepotes
Flebunt. Nulla dies juſto importuna dolori,
Interitum BODLEIE, tuum tua mœnia lugent;
Marmoreis certant lachrymis ſudantia ſaxa;
Muſarumq; domus deformi ſqualida luctu eſt:
Quæ ſi non gemuit, potuit gemuiſſe videri.
Omnia te fatis raptum teſtantur iniquis.
Et meritò: quis enim vitales dignior auras
Hauſit? quis rapidæ meliùs data tempora vitæ
Tranſijt? en, vates tibi naſcitur, & tua Muſæ
Facta ferent, totumq; dabunt Helicona canenti.
Mertonidûm domus acta ſuis tua laudibus addet.
Mertonidûm domus alta tuæ incunabula laudis.
Hîc tibi crevit amor doctorum in pectore docto
Æmulus; hîc operum tantorum nobilis ardor.
Hîc animi conjuncta bonis facundia linguæ;
Quam populi auditam penitùs ſtupuere remoti,
Principis orantem cauſas & juſſa ferentem.
Te quoq; voce ſuâ *Iudæa* fama priorem

Tollit

Tollit, & aſtrifero ducti ſermonis Olympo
Arcanos non more hominum tenuiſſe receſſus
Prædicat. Infelix retrò tulit omnia fatum.
BODLEIVM ſopor altus habet, nox incubat atra
Luminibus. Talem poſt triſtia bella fugamq;
Mæonides feſſi reditum memoravit Vlyſſis.
Jlle ſuam repetens Ithacam, cum dicitur arctâ
Lumina devictus requie ſomnóq; ſepultus,
Creditur ambigui perfunctus cladibus ævi
Ætheream petiſſe domum ſedeſq; beatas.
Tu quoq; dum repetis mortali lumine caſſus
Mertonæ gremium & penetralia dulcia matris,
Parte tui meliore petis meliora, dolores
Pectora noſtra mali curæq; ſequuntur inanes.
Tu major quàm cui poſſint fata nocere,
Impermiſta malo ſinceraq; gaudia carpis.

TH. GALL.

ECLOGA

Gaſtrophilus: Chreſtophilus.

PLanitie in viridi (quæ *Boulingtonia* fertur,
Oxoniamq; imâ deſpectat valle jacentem)
Chreſtophilum pullâ ſpatiantem veſte per arva
De grege Pierio juvenem, Muſiſq; vacantem,
(Sed neq; jam Muſis, nam fletibus ora rigabat)
Gaſtrophilus videt vrbanus: viſumq; repentè
(Vt ſolet) indocto doctum ſic ore laceſſit.
Gaſtr. Cur ita (*Chreſtophile*) in nubem tibi cogitur atram
Vultus? Cur flentis tua lumina rivuus inundat?
Annè togam mus roſit? an eſt tibi venter inanis,

Vt sæpe? anne libros (compilans scrinia fortè
Aut aram) tinea invasit? quæ, fare, doloris
Causa? nec id veteri tua lingua recuset amico
Dicere, quod veterem nec frons tua celat amicũ.
Chrestoph. Eheu tun' etiam nostro, vicine, dolori
Grastrophile, illudis? nostris tu cladibus asper
Insultas? refricasq; meo sub pectore vulnus
Quod latet? annè tibi vox non audita gementis
Cynthij, & Aönidum crudelia fata vocantûm?
Nonnè tibi auditus *Shotoveri* in vertice montis,
Nuper Hamadryadum luctus Dryadumq; querentûm
BODLEII interitum? tu ludens tempora fallis
(*Gastrophile*) & potans, lætus tu cornua tollis,
(Nam potes) at miseri nos in suspiria toti,
Totiq; in lachrymas (sic dij voluistis) abimus.
Gastroph. Quem mihi BODLEIVM memoras? non ædibus ille
Assuetus nostris, nec commoda nostra severus,
Nec nostras curabat opes: non ære crumenam
Ille mihi gravidam, nec ventrem fecerat vnquàm
Aut Bacchi, aut Cereris plenum: non vxor ab illo
(Quod solet à multis) nec filia ceperat aurum.
At memini quendam, magnis qui molibus arcem
Struxerat (vtq; ferunt) Musis (quod nomen, vt ipse,
Ignotum nobis) Chartis nugisq; refertam
Vivus adhuc (sed enim insipiensq; amensq;) sacrârat.
Hunccinè, *Chrestophile*, ablatum stultissime ploras?
Chrestoph. Sicnè pios manes impuro polluis ore?
In talem linguæ virus jacis, improbe, Qualem
Nec prior aspexit, nec postera viderit ætas?
Gastroph. Si tibi vir talis, si tantus habetur, habetor.

At

At tibi: Nam nobis, qui nobis vtilis, ille
Solus honoratus, soluſq; videtur honeſtus.
Chreſt. Heu cadit in quenquam dementia tanta? poteſtnè
Ferrea cujuſquam mens in tua funera fletus
Non dare, BODLEIE? an quiſquam ſua lumina ſanus
Temperet à lachrymis, qui te tua factaq; nôrit?
Gaſtroph. Facta? quid hoc? an facta vocas hæc illius, alter
Quæ precio fecit conductus? an illius illud
Iure, quod illius factum fuit ære, vocetur.
Sic mea (quæ fueram mercatus) carmina dicam:
Sic fiam exiguâ vates novus ipſe monetâ.
Sic veſtra in noſtras migrent collegia ſedes,
Sedeſq; in veſtra hæc migrent Collegia noſtræ.
Chreſt. O hominẽ, an pecudẽ dicã magis? hæccinè demens
Colligis? an diſpar rerum connexio cœcum
Te facit & prodit? ſic inclyta facta virorum
Ad normam veſtræ redigis rationis iniquam?
Tu curare cutem, tu pocula inania nôſti
Reddere (*Gaſtrophile*) & noſtram fraudare iuventam
Mercibus oblatis: at quæ ſublimiter æquant
Mortales ſuperis, ea nec tibi nôſſe labori,
Nec curæ facere eſt: nos (qui meliora videmus
Et ſequimur) meritis dignamur honoribus illa.
Vos nihili Muſas facitis: vos veſtraq; Muſæ.
Gaſtroph. Siccinè amicitiam veterem diſrumpis? & iſtâ
(Quæ ſi vera eſſent à te non dicta fuiſſent)
In tibi vicinos ſpargis convitia? ſic nos
Excipis immeritos? ſic par, ingrate, reponis?
Chreſtoph. Non libet inſano tibi iurgia nectere, nec ſic
Edocti ſumus, ingrativé, quod obijcis, vlli

Aut

Aut ſumus, aut fuimus ſed enim, quod fingis, avitæ
Fœdus amicitiæ non certè agnoſcimus ivllum.
Nec nos diligitis ſed noſtra impenſiùs omnes.
Hoc priùs (at nuper certò) cognovimus. Ergo
Vade, age (declivis quà te via ducit) ad vrbem:
Aut (vita infeſtx quò te tua ducet) ad orcum.
Me mitte, & luctus, ne ſic intercipe noſtros.

Hæc vbi *Chreſtophilus* dixiſſet in avia mœrens,
(*Gaſtrophilo* properante domum: nam venter & vxor
Ex æquo miſerum excruciant) abit. Ille querelis
BODLEIVM inclamans, cœloſq; deoſq; fatigat:
Nec priùs abſtinuit (ne tum quoq;) perditus atris
Luctibus, adveniens quàm clauſit veſper Olympum.

L. H. T.

QVid BODLEIE tuas certamus fundere laudes,
Cum patet in laudes *Bibliotheca* tuas?

GVIL. COXE.

Apoſtrophe ad Bodleij manes de everſione publ: Scholarum.

STare ſcholas num poſſe putas, nec culmina labi,
Cum caſu infeſto tanta columna cadat?
Dum tibi vita fuit, titubantes vidimus illas;
Lapſu præpropero, te moriente, cadunt.

ALEX. SPICER.

Bod.

Bodleius ad Collegium Mertonense.

VBera me quondam tua nutrivêre (benigna
Mertona) & reducem nunc recipit gremium.
Nam mea membra tuâ rursus condentur in alvo,
Et tua quæ fuerant, hæc tua semper erunt.
Ortus cuncta suos repetunt, matremq; reposcunt:
Tu mihi mater eras, tu mihi mater eris.

Ios. Duncomb.

Prolepsis ad defunctum de Bibliotheca suâ.

SI quis apud Manes superest post funera sensus,
Structuræ metuas (ô *Ptolomæe*) tuæ:
Scilicet arserunt veteris Capitolia Romæ,
Et Philadelphæâ condita saxa manu:
Causam adverte tamen; caruerunt vindice certo:
Sed tua sacra Deo est (ne vereare) Domus.
Inferat infestos sceleratus *Herostratus* ignes:
Pellet ἀλεξίκακον numen, ab Æde malum.

R. Cooke

Τὰ τῆς φήμης πλεύγια ἐν τῷ τῆς πειθοῦτε Ἥρως.
Θωμᾶ τῦ ΒΟΔΕΙΟΥ κιθαρῳδοῦ παιδιὰ δεκαπεντάσυλλα.

1. Οὐκ ἀποθήσει ἀχεπὴ, μήτε μεὶ ἀνδρὸ ποίσιν ἰσγ᾽ ὅτι χε᾽ καλὰ θνητῶν.
3. Ἦ δὲ ἐγωγ᾽ ὅσσα καλὸ, καὶ πίταμαῖτ᾽ ἀμφὶ πλατύν γα κοσμῶν,
5. Τ᾽ ὑψόκρανε, χ᾽ πολύφθογγος θεὸ, πάγκρατής τε,
7. Λαοδάϊσμος νύγα ἀπαστραλῆμας
Οὐδὲ πυρὶ θερμὸν ἐλαμπόνετο.
11. Ὁ παῦ,
2. Εμ᾽ ἴφε.
4. Ἔρρηξεν τὸ πελέσσας
6. Οὐδ᾽ ἐ τὰ πεαχθόντα καλῶς, θέλυσα
8. Πολλὰ ποῦ᾽ ἄλλ᾽ ἐ μοῦσθ᾽ ἀνέβα πόῦ᾽ ἴσως
10. Καὶ πολυεργόν. Τίς δ᾽ Βοιλλεῖος: τίς δ᾽; ὁ μέγας ἐκεῖνο
12. Ὁ σφέδρα πάλαι δὲ θνητοῖς πεῖκλυτος μθ᾽ ἐκεῖνος χ᾽ πελβόντος.

1. Οἰμοι ἐμοὶ, γύγ᾽ ὀπιλεῖτ᾽ ὀδυρὰ κἀν πάλῖ, χ᾽ γλῶ᾽ ἐξαπίνης ἐμαρῖ
3. Πάλλε᾽, ἐν μέσσοις ὀδῦ᾽ ἀ δίνεα᾽, ἐύτυκος ἁ πὶτ᾽ ἦεν
5. Καὶ πλεύγων νεύρα ὑπαίκιπ, χ᾽ χαλάεσι
7. Ὀυκέτ᾽, ὦ Ζεῦ, λύσαμαι πάλαισα,
9. Ἡ κλεῖ᾽ ἀδμήτῳ,
11. Ἐσπέρας.
2. Τρίμυσα,
4. Καὶ πολυφωνοτάτη.
6. Μάλ᾽ ἄτυγοι. ζαβαῖ, ἐγὼ πάλαι
8. Μηδ᾽ τὸ φθέγξασθ᾽ τίς ἔτος, καλοὶ μιθητοί;
10. Καὶ πολλὰ ὦκυ᾽ ἀχιλῆ, χ᾽ Πειαμῖ παῖδ᾽ καλῶ᾽ ἑκάτερ
12. Ἡμέστιν ἡμιθεῖος τ᾽ ἄλλα ἐκείνος πολὺ μείζων ἐφάνετ᾽ ἀμφ᾽ πυρί.

Ὅσσαν λιπλέρυγ᾽ ὀρμᾶν᾽ παλαιοὶ ἄνδρες ἴδοντο,
Καὶ Μυσῶν ἱερῆς Πιερίδων ἔδοσαν.
Μηδ᾽ τις ἔν θαυμάζῃ, κἀν τῷ πάλεσιν ἄλλ᾽
Ἐξορέων, καιρῶς καινὰ σχίσιν τιθέντα.

Κέφ

Κἀν δυσὶν ὄσσα μόνον πάλαι πτερύτοσιν ἔχρατο,
Νυνὶ δὲ ὡς ἀρκῇ δὶς δὺ ἐγὼ δίδια.
Οὐχ εἷς τῶν πολλῶν Βοδλεῖος, εὔπτερον ὑκῆν
Σήμερον ὄσσαν ἔχειν ὑψιπετῆτο πρέπει.

HVc luctus, lachrymæ huc; nil nisi flebile,
Carmen temporibus conveniens suis.
Accentus madidos tristia numina
BODLEIO inferias dare.
Nunc quis non lachrymis diffluit, & genas
Irrorat bibulis? fletibus vndiq;
Mundus luctisonis perstrepit, & gravi
Plangit vulnere saucius.
Cumq; omnes tepidis funera guttulis
Pertristes onerent, nescio an addere
Nostras conveniat, vel premere intùs &
Invicto in gemitu mori.
Dicendum est aliquid; ne minimè pius
Ne magnum scelus, hic tam subitus meus
Dicatur stupor, & tam tacitus dolor
Evadat furor impius.
Me natura jubet flere, vt avunculum,
Mens grata & pietas me innumeris jubet
Devinctum officijs perpetuò integrum
In mœrore liquescere.
Eheu quàm nimiùm nunc superi, velim
Esset fictitius fletus hic & dolor,
Tam verus nimiùm, tam nimiùm meus!
Sic est, sentio, sentio.

Nimirùm loquitur plura dolentibus
Verè atq; ex animo turba levis comes.
Conducta in misero funere, tristia
Venali ora rigans fale.
At verus meus est, nec loquitur nimis,
Ast intùs sedet, & lentior ictibus
Crebris ingeminat pectora, nec finit
Se effertì levibus sonis.
Tu ter sancte parens (sic fueras mihi)
Olim & præsidium, & dulce decus meum,
Qui nunc destituis me miserum, & tuâ
Affligi pateris nece,
Devotas lachrymas degeneris cape,
Indigniq; tuâ gente nepotuli,
Quâ quondam solitus fronte meas bonâ
Nugas ferre & ineptias.
Postremùm hoc lachrymans officium pius
Præsto, sed memori mente tuas colam
Æternùm inferias, nec pietas genus
Vnquam destituet tuum.
Tristis me inveniet prætereuntibus
Annis sera licet decrepitum senem
Mors, sed tum querulum, nec mihi ferream
Cunctis obstruet os minis.
Æternâ exagitans hanc queremoniâ,
Clamabo repetens, Redde mihi meum
Mors atrox patruum, redde mihi meum,
Redde inquam patruum mihi.

LAVRENTIVS BODLEIVS *mœstus nepos quæstus est.*

Αἶ, αἶ, αἶ, σὲ μόρος τίς δύσμορος ἥρπασεν, αἶ αἶ!
Τηλέκλυτόν σε μανεὶς τίς θανάτωσε μόρος,
Οὐ θάνατος τόσον, οὐ φθονερὸς χρόνος ἐξαφανίσει
Οὐδ' Ἔρεβος γοερὸς μικροτέροιο τάφου.
Λαμπρὸς ἔων φανερῶν ἀνδρῶν φίλος, ἄνεν ἔαων
Δωτὴρ χρηστοφίλοις, δεῖγμά τε Χριστοφίλοις.
Πῶς δὲ παρὼν ἀπεεὶς; πῶς μὴ ἔκων ἐδαμάσθης;
Πῶς κρυπτὸς φαίνεις; πῶς θάνες ἀθάνατος;
Οὔλυμπος καθαρὸν μ' ἔχει, ἀκάθαρτον ἄρουρα,
Καὶ φθαρτὸν θάνατος κ' ἄφθιτον οὐρανίδης.
Θοῦτος Βοδλεῖος δολερὸν θάνατον θανάτωσε
Ἔνθεος ὢν θνητὸς, καὶ βροτὸς ἀθάνατος.
Ἐῤῥ' ἀϊδοῦ κνέφας, ἔῤῥε κακῶς ὀλεσίμβροτε δαῖμον
Ἡδείας ζωῆς πρόξενος ἐστι μορός.

ZOROBBABEL MAVLTVS.

TRistia si quando cingentes tempora myrto
Musæ deflendis ingemuere malis.
Si qua vnquam Aonios meruerunt funera luctus
Nunc fundat lachrymas mœsta corona suas.
Nunc nunc Pierios latices totumq; Helicona
Hauriat; elinguis sed mea musa stupet.
Phœbus & ipse silet, silet & Rhodopeïus heros,
Et sociant lachrymas, & simul ambo stupent.
Squalida quot delubra nigro vestivit amictu!
Occupat atratos quot dolor iste lares!
Iam novus Elysijs decurrit rivus in arvis,
BODLEII lachrymas angulus omnis habet.
Nec medicâ Phœbus Lachesin, nec Phasias arte
Thessalicâ, aut modulis vincere Musa potest.

Vidit & invidit tantum decus Atropos orbi,
Nigrâ & curtavit ſtamina ducta manu.
Ergò age jam votis frueris fœlicior, heros,
Ad ſuperas arces ſcandis, & vſq; polum.
Sic tua perpetuis inſcribent nomina faſtis
Secla, & BODLEII fama ſuperſtes erit.
Splendida ſtruxiſti ſacratis atria Muſis;
Iam reſtant (inquis) ſidera, terra vale.

ED. HVCKLE.

SI qua tibi fuerat capitis reverentia cani,
Si qua tibi cordis, vel pia cura pij:
Si qua tibi ingenij fuerat, vel gratia docti,
Tanto faviſſes, Atropos atra, viro.
Ille tamen faſtos æternos Magnus inibit,
Ducet & innumeros, te renuente, dies.
Dum viget Aonidum domus, & ſublime Minerual,
Fulgida turrigerum tollit ad aſtra caput:
Non illum ſeri carpent oblivia ſecli,
Nomen & in cineres nulla ruina dabit.

IOH. HILL.

ΘΩΜΑΣ ΒΟΔΛΕΙΟΣ. Ἀνάγραμμα. ΘΕΙΟΣ {ΔΑΛ / ΒΩΜ} ΟΣ

Παρωδία.

Δῶκε Σαοφροσύνην Βοδλείῳ Πάλλας Αθήνη,
Ὡς ΘΕΙΟΣ τε, καὶ ἔκδηλος ΔΑΛΟΣ μετὰ πᾶσιν
Ἀγγλιγένεσσι γένοιτο, ἠδὲ κλέος ἔσθλον ἄροιτο.
Δαῖεν οἱ ἐκ κρατός τε, καὶ ὤμων ἀκάματον πῦρ

Ἀστέρ

Ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅς τε μάλιστα
Λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος ἀκεανοῖο:
Τοῖον οἱ πῦρ δαῖεν ἀπὸ κρατός τε, καὶ ὤμων,
Ὅπποτε μὲν ΘΕΙΟΣ ΒΩΜΟΣ μέγας ἐκτετάνυστο
Μυσοπόλοις, καὶ μυστοπόλοις Βοδλείου ἕκητι:
Δεῖβε δ' ὅ γ' ἀθανάτοισι θεοῖς ἀιειγενέτῃσιν,
Ἐκ πάντων δὲ μάλιστα Διὸς γλαυκώπιδι κούρῃ
Ὑψερεφὲς θέτο δῶμ', ἠρᾶτο δὲ Πάλλαδ' Ἀθήνῃ.
Κλῦθί μοι αἰγιόχοιο Διὸς τέκος Ἀρτυτώνη,
Ἔσποτέ τοι Βοδλείος ἐνὶ μεγάροισιν ἀμύμων
Ἤβοος, ἢ οἷος κάτα πίονα μηρὶ ἔκηε,
Ἄιει μου μνῆσαι, καὶ μοι κλέος ἐγγυάλιξον:
Ἀνθρώπους δ' ἀπάλαλκε κακῶς ὑπερηνορεόντας.
Ὣς εἰπὼν ὀλόλυξε, θεὰ δὲ οἱ ἔκλυεν ἀρῆς.

Dum dubitat natura virum facerétne Deúmne,
Factus es ecce (virûm maxime) penè Deus.

IOH. GOLDSMITH

In insignia, sunt autem 3 Coronæ cum titulo Quarta perennis.

VItæ prima Corona bonæ, fuit altera pacis,
Tertia virtutis, Quarta perennis adest.
Mentis prima Corona piæ, fuit altera famæ;
Tertia mortis erat, Quarta perennis adest.

H. P.

MOrte tuâ fruitur, sed non sine vulnere, Musa,
BODLEIE, ac tumuli gratia magna tui est.
Quòd moreris, quòd pectus erat violabile, noster
Hic dolor, hoc scelus est, Parca superba, tuum.

Quod

Quòd tamen *Oxonie* tibi ſtat, BODLEIE, ſepulchrum
Æternum, hoc decus eſt, Muſa beata, tuum.

MICHAEL DVNCOMBE.

Triumphus BODLEIANVS.

QValis exultat nitidus ſenectâ
Pellis exutâ draco: talis alti
Jam novus ſedes teneo ſupernas
Incola cœli.
Victa mors, victus Phlegetontis horror,
Simplici debet mihi plus triumpho:
Nemo victricem lachrymâ favillam
Spargat inani.
Nec meæ funus monumenta laudis
Obruent: vivam pereunte mundo,
Dicar ac toto pater eruditis
Maximus orbe.
Non vetuſtatis poteritvè ferri
Vis edax, teli neq; flamma torti
Vlla, vel noſtros abolere mille
Secla labores.
Sic datur ſedes iter ad beatas.
Tendit ad cœlum pietas, nec vnquam
Audiet nigri fremitus Averni
Inclyta virtus.

R. GOODE.

Pol-

PLorate Musæ, Phœbus heu vester jacet?
In orbe vestro desijt clarum Iubar
Lucere, celso munus emissum polo.
Perlæta nuper, plena Musarum domus,
Iubente BODLEIO, extulit fastigium;
At nunc schola hæc, vt orba, dilectum dolet
Parentem, & edit ejulabili sono
Lugubre carmen, mœstáque in luctum ruit.
Sed quid gemendis excitata planctibus
Lamenta prosunt? Ille fato jam suo
Functus, perennis laudis & famæ satur,
Clara inter astra lucidum splendens Iubar,
Terram reliquit. Ille nunc compos spei
Diu petitæ, cernit æternum Deum,
Altâq; vectus nube, despicit gravem
Telluris orbem, Cœlico junctus Choro.

E. CORBET.

HVnc meritò quisquam funestum dixerit annum,
Quo tot præclari mortem obiêre viri.
Nonnè satis fuerit quòd mors truculenta potentis
Principis injustè fata cruenta tulit;
Quinetiam charos Musarum perdat alumnos,
Et Mæcenatum funera mœsta ferat?
Annè parat Martis cultoribus atq; Minervæ
Omnibus egregijs nos viduare simul?
Non possum tantis non indoluisse ruinis,
Cernere nec siccis talia fata genis.

Caucasus haud duris genuit me cautibus horrens,
Pectore nec latitat cornea fibra meo.
Heu, BODLEIE, quibus lachrymis tua funera plangam?
Mors tua quàm justi causa doloris erit?
Heu jactura gravis nullo reparanda dolore!
Occasu patimur publica damna tuo.
Sed quia fatalem luctus pensare ruinam
Non potis est; omnes sed sua fata manent:
Gratulor hunc potiùs superas conscendere ad arces,
Et petere Elysij regna beata soli.
Inclyta magnificis remanebit gloria factis,
Dum rutilant celsi sidera clara poli.
Hæc monumenta viri per secula multa vigebunt,
Hanc famam tempus non violabit edax.
Terrea sed quamvis ruat alto à culmine moles,
Ipsa tamen facti fama perennis erit.

IO. WILTON

IAMESE *Protobibliothecarie*, diu
Sic ô tuo lætus fruaris nomine;
Sic Pontificijs omnibus bellum novus
Tu fecialis nunties, verùm sine
Cruore quod peragatur, abstq; sanguine,
Et quale fuerat *Gregorij* nuper tui:
Sic levibus armis, anserinóq; calamo
Mactes probè *Capitolij Magnum Anserē*:
Sic & frequenti milite papyraceo,
Et machinis (Bellū heu atrox!) chartaceis
Instructus, evertas novæ mœnia novæ

Ro-

Romę, & Papam *Patresq; conscriptos* ciens
Ad prælium, opponas *Manu scriptos Patres*
Araneoso vindicatos è situ:
Sic reliqua librorum supellex, tuus amor,
Sit salva semper; atq; sic maneat precor,
Nidis locentur singuli Libri suis,
Arctisq; cuncti sint ligati vinculis;
(Errore sed felice pateat *Pagina*,
Et vsq; & vsq; se ingerat Lectoribus,
Quâ spem tui facit [a] *Logicus ille* ingenî.)
Vt hunc libellulum misellum heu, & macrum,
[b] *Germanico* certè minorem (nam μέτα
Non est κακόν, nempe μέτα non est βιβλίον)
Ne fortè redimant sordidi Librum coci,
Ipse redimas, nidoq; ponas infimo
Licèt. Alijs, BODLEIE, chartis secula
Vitamq; *Bibliotheca* donavit tua;
BODLEIE, nostri tu Libelli Genius es,
Vitamq; nostro mors dabit Libro tua.

PETR. TVRNER *in Art. Mag.*

[a] *Keckerman Log L. 3. C. 8.*

[b] *Taubmannus refert proverbii loco vsurpatum,* Librum Germanicum *pro magno ac malo: ne quis me toti genti convitiari existimet. Quorsum enim amicissimam gētem mihi inconciliarem?*

Ἐξόδιον.

O docta Carmen flebilibus modis
Et lachrymarum fundere rivulos,
Quæ luctui indulges amaro,
Siste tuos gemitus Camœna.

Mertona Mater progeniem dedit
Tractare vitæ munera nobilem,
Vel res gerendas, vel Scholarum
Multiplici ingenio labores.

Tu surgis vnus celsior omnibus
BODLEIE, qui mortalibus afferas
Exemplar excelsum merendi, &
Delitias generi Britanno.

Doctas Camœnas Oxonio dedit,
Doctis Camœnis culta cubilia.
Tantam mori nec sustinebit
Progenies oritura famam.

Hæc fusa terras fama habitabiles
Pulsabit & fastigia cœlica.
O siste crudeles dolores,
Siste graves gemitus, Camœna.

Conclusio ad Lectorem.

SOlvere *Iusta* tibi cupimus, BODLEIE: sed ista,
Solvere quæ cupimus, non tibi justa satis.
Ipse licèt veniat Phœbus tibi *justa* daturus,
Vix erit in numeris Phœbus (vt ante) suis.
Quo magis his æquus debes ignoscere (Lector)
Quicunq; es Phœbo vate poeta minor.

FINIS.

ORATIO FVNEBRIS,

Habita in Collegio Mertonensi à

JOHANNE HALESIO,

M^to in Artibus, & eiusdem Collegij Socio, Anno 1613 Martij 29° ; quo die Clarissimo Equiti D. THOMÆ BODLEIO *funus ducebatur.*

ORNATISSIME PROCANCELLARIE,
Clarissimi, Doctissimi, Venerabiles Viri:

TAcietis mihi, uti spero, inauspicatæ orationis veniam, si quod intùs apud me diu sum commentatus, & tacito tantùm præsagio divinabam, illud coràm apud vos hodierno die prædicem : videri mihi & artium & ceterarum rerum firemps legem esse, idemq; , quod reliquis omnibus, Musis etiam literisq; senium & interitum imminere. Non refricabo alicujus antiquioris seculi infortunia : ipsum hoc, quod agimus, incusabo ævum, reliquis impendiò infelicius. Nam quam tandem ætatem majora literatorũ dispendia afflixerunt? Aut quod vnquam seculum tot tamq; continua doctissimorum virorum busta funestârunt? Illam aureamubertatem, illam sylvam hominum in omni artium genere præstantissimorum, quam, non dico majorum ætas, sed pueritia nostra vidit florentissimam, eã

penè omnem juventus noſtra vidit extinctam. *Whitakerum, Bezam, Zanchium, Rainoldum, Iunium,* addo etiam alterius licèt Muſæ, *Scaligeros, Lipſiumq́,* cum nondum per ætatem æſtimare potuimus, (proh dolor!) amiſimus. Scilicet in autumnũ quendam incidimus multò infeliciſſimum, in quo neceſſe fuit tantã literarum & eruditionis ſegetem infringi, demeti, exareſcere. Sed nondum penitus animis fracti concideramus: in medijs buſtis, funeribus, & exequijs ſpem tamen aluimus impudentem. Nimirum ſubijt animum, nos homunculos, ubi ſalillum, quod habemus, animæ expiraverit, totos perire: literas verò immortale fas habere, nullius ævi ſenio intermori, nullâ invidiâ carpi, nullâ oblivione ſepeliri. Quippe ſupererant præſtantiſſimi viri, & in rebus agendis nil niſi immortale cogitare ſoliti, qui in eo negotium, in eo otium, in eo vigilias, in eo etiam ſomnum reponerent ſuum, ut mortalitatem, quam literatis depellere nõ poſſent, ab ipſis tamen literis pulcherrimis conſilijs & operibus propulſarent. Sed dum nobis faciles adblandiremur, & infelicium literarum miſeram ſolitudinem cogitationibus iſtis ſolaremur: neſcio quæ ſolatijs noſtris inſidiata invidia, vt nil.il amplius, nõ ſpei, non ſpeculæ, fieret reliquum, ſubitò nobis ſubduxit hunc magnum Muſarum patronum, & Academiæ nihil præter chariſſimi capitis triſte deſiderium reliquit. Ergo omnes illi benigniſſimæ naturæ flores, illi perennes inexhauſtæ munificentiæ fontes exaruerunt? Ergo excellentis animi ornamenta, & vigorem immortalem, tot diviniſſimarum cogitationum fœcundam, tot annorum virtutes dies una, hora, momentum abſtulit? Certè. Potuit infirmitas & conditio mortalitatis noſtræ, potuit incerta fortuna, certiſſima natura: auſim immutare verba mea, & ſic meliùs errare: potuit incerta natura, certiſſima fortuna, quæ nullo cum judicio in rebus verſatur, nullo ordine & examine miſcet fata, confundit merita; potuit, inquam, aliorum ignobile & inutile ſenium improbâ vivacitate uſq; & uſq; fatigare: huic verò brevem exigui ſpiritûs auræq; communis uſum invidere, qui ſi annis *Neſtorem* æquâſſet, nobis tamen fuiſſet in immaturis. Iis enim qui æternitatem cogitant, & ſeſe ampli-

ampliſſimis operibus poſteritati tranſmittunt, quæ poteſt eſſe non immatura mors? Nam arcti & compreſſi pectoris mortales, queis una cura brevem vitam caducis laboribus fatigare, ut vivendi cauſas quotidie finiunt, ita ſingulis diebus efferuntur: at vegeta & experrecta indoles, cui is labor, ea quies, meditari ampliſſima, & magnificè cogitata ſplendidiſſimis factis honeſtare; nulla illi mors non repentina eſt, ut quæ fundantem arces & caſtella molientem opprimat, & inceptas turres, & imperfecta mœnia, & ſemper inchoatum aliquid interrumpat. Erat hoc BODLEII noſtri fatum iniquiſſimum: quem præclariſſimorum operum, aliorum quidem compotem, aliorum verò candidatum, oppreſſit ultima neceſſitas, coegítq; tot labores in ſulco quaſi & ſemine deſtituere. Nos verò quid aliud Divinam Majeſtatem votis votiſq; popoſcimus, quàm ut ipſius longâ pietate munus nutriret ſuum; quàm ut ſub ipſius, tanquam ſaluberrimi ſideris aſpectu læta beneficij ſeges in ariſtam quaſi & fructum matureſceret? Sed ita averſo numine vota nuncupavimus, ut non modò nihil annorum apponeretur, ſed nec, quę poſtrema ſolet eſſe defunctorum felicitas, accederet in funere laudator diſertus. Nolebam equidem, Viri Graviſſimi, & certè iniquiſſimum eſſe ducebam, illam ex omni bonarum artium ingenio collectam perfectionem, illam munificentiam, quam non modò moribus noſtris non expreſſam, ſed vix libris deſcriptam habemus, illas reliquas virtutes planè divinas, quas integras oportuit magnis & decoris ingenijs reſervari, in unius ingenioli aleâ periclitari. Sed quoniam qui in hac triſtiſſima rerum facie mœroris partes habent primas, ſilentij legem, quam luctui ſuo graviſſimo indixerunt, meo non concedunt: ſolabor me obſequij neceſſitate, & quum vobis rem ipſam nō potero, propenſam tamen emetiar voluntatem.

Mihi verò Summi Viri laudum immenſum pelagus ingreſſuro, mirari ſubijt eos, qui quum in præclariſſimorum virorum laudibus verſentur, atq; omnes vndiq; bonæ famæ auras ambitioſiùs colligant, nullis tamen libentiùs vela implent, quā quas aut fortunæ, aut patriæ, aut natalium ſplendor emittit. Equidē

ego

ego illum ſterilem veræ ſolidæq; laudis ſemper habui, ad cujus gloriæ cumulum augendum, aut patriæ celebritatem, aut familiæ nobilitatem oportebat accedere. Neq; enim præſtantiſſimos viros minùs honorificâ cogitatione proſequi æquum eſt, quia Romę non naſcantur, aut Athenis, aut quia familiæ parentéſq; in honore famæ & monumentis non legantur: ut neq; ſolem & ſidera minoris ducimus, quia puros illos cœleſtéſq; orbes, qui illa nobis exhibent, oculorum acie non conſequamur. Nam ut corpora ſana & integri ſanguinis ex ijſdem ſpeciem accipiunt, ex quibus vires: ita verus ille virtutum profectus non adſcititio pigmento, ſed illo ipſo, quo alitur, ſucco nitet. Si quę tamen ſint apud eruditos locorum privilegia, is profectò locus reliquis longè prælucet omnibus, qui votis Academiæ feliciſſimo illuſtrium ingeniorum proventu reſponderit. Atq; hæc
Devonia. BODLEI noſtri patria fuit. Is enim terrarũ angulus, cujus feliciſſima vbertas celeberrimos literarum triumviros, *Iuellum*, *Rainoldum*, *Hookerum*, eduxit, BODLEIVM etiã nobis dedit; providentiâ quâdam ſic diſpenſante, vt quæ patria tantos daret Marones, hunc etiam daret *Macenatem*. Laudabunt ergo alias terras amœna pratorum, læta ſegetum, denſa ſylvarum: hanc verò reliquis omnibus literata fertilitas æternùm reddet beatiorem. In familiæ BODLEIANÆ præconijs non tam gentilitiam dignitatem numerârim, (quanquam fuit illa perilluſtris) quàm quòd fuerit pietatis laude florentiſſima. Nam quum agerentur illa funeſtiſſima tempora, quum humanitatem, propriam illam religioſorum Deam, nuſquam magis quàm apud religioſos deſideraremus; cum aut ſubeundę eſſent aut adorandæ cruces, & pietati nuſquam eſſet niſi in fuga perfugium: linquenda cenſuit pientiſſimus vir, hujus Noſtri pater, & domum & terras & placentia pignora, maluítque incertam exterorum humanitatem experiri, quàm ſe certiſſimæ domeſticorum crudelitati committere. Fugientium parentum lateri hæſit individuus comes *Iulus* hic; parvus *Iulus*, cui jam tum in literis regnum quoddam fata deſtinabant. Iam cujus eſt miraculi, religionis, cujus vix per ætatem ſenſum habuit, pœnam ſubire? Cui demum

demum animo, non dico molli & tenello, sed robusto planè & exercitato, calamitates illæ frangendo non fuissent? Ille tamen frui miserijs & exinde animos viresq; recipere, & omni illo tristissimi exilij tædio ad præclarissima incepta abuti. Frequentare nobilissima gymnasia, ambire illustrium hominum familiaritates, audire celeberrimos artium linguarumq; professores, *Beroaldum* in Græcis, *Chevalerium* in Hebræis, etiam in sanctiore illa & augustiore theologia *Calvinum* & *Bezam*, quorum auditoria jam duodecim annorum auditor implebat. Neq; verò quisquam fingi à me *Cyrum* aliquem, potiùs quàm tradi putet, & ad BODLEII virtutes exequendas, votum magis quàm historiam commodari. Nam quid post natam injuriam factum est iniquius, quàm ad suam imbecillitatem aliorum vires exigere? Sunt enim magnorum fluminum fontes navigabiles, & generosioris arboris statim planta cum fructu est. Recolligite potiùs animis omnia illa apud antiquos præmaturæ industriæ miracula: *Augustum* jam annorum duodecim aviam pro rostris laudantem: *Tarpam*, *Pliniumq;* jam annorum quatuordecim tragœdias scriptitantes: nam aut me fallit divini ingenij admiratio, aut nihil habent hæc, vnicæ illi tot linguas percipiendi industriæ comparandum. Nam cuius est laboris sermoni illi, quē jam nascentes hauriebant, aut rhetoricum cultum, aut poëticū nitorem dare? Immo omnis illa artium exercitatio, quid habet tot linguarum tædio par? *Athenis* vnà cum loquela artes ipsas arripiebant: *Romæ* cum Latinis Græca conjunxisse summa votorum erat. Nos, quibus patrij sermonis paupertas nihil præstat artium, nisi *Latinis*, *Græcis*, *Hebræis*, *Gallica*, *Italica*, *Hispanica* addamus insuper, nihil egimus. Adeò nobis major exantlandus labor in aperiendis fontibus, quàm illis in tranandis fluminibus: illis expeditius, vniversum artium iter absolvere, quàm nobis primas semitas aditúsq; recludere.

Quamobrem *Anglorum* licèt res sæpè fuerint multúmque turbatæ, BODLEII tamen gloriæ & emolumento nunquam magis compositæ quietæq; iverunt. Sed quum domi tempestates & procellæ detonuissent, & Sereniſſimæ Principis divino

beneficio, restinctis animorum incendijs, foro fax, templis sanctitas, juri integritas, omnibus salus esset restituta: protinus collecta est quę toto fuerat orbe sparsa ruina; cujus magna pars BODLEIVS noster. Reversus itaq; Musarum alumnus & *Cen-*
Horat. tum puer artium, nihil habuit antiquius, quàm beneficum aliquod sidus experiri, cujus influentiæ maturantis illapsu, commissa solo semina in segetem & solidam frugem adolescerent. Sinceram itaq; & integram adolescentiam suscepit formãdam magnus Theologorum Dux, *Humfredus*: illum intueri eruditus tyro, illum mirari, sub illo toto pectore artes honestas arripere: vt vel hinc satis esset conjecturæ quantâ mox cum gloriâ esset in Musarũ castris versaturus, qui sub tantis Imperatoribus prima faceret stipendia, ad tanta exempla tenerum tyrocinium exigeret. Quid infinitum laborem, & quotidianam meditationem, & in omni artium genere exercitationes loquar? Etsi enim quod olim *Seneca* de *Nilo*, *Nilus per septena ostia in mare emittitur, quodcunq; ex his eligeris, mare est*: illud ego de septemplici artium Nilo dixerim, *septenis canalibus tanquam ostiis in disciplinarum mare emittitur, quodcunq; ex his elegeris mare est*, & solũ omnibus tum temporis tum diligentiæ momentis occupandis sufficit: ille tamen amplius quid divino molimine meditari. Non est visum satis vno artium rivulo tingi, sed vniverso literarum Oceano imbui: non vnam selegit artem, quam sibi tanquam sponsam jungeret, sed commune disciplinarum flumen tentavit, omnium artium pulcherrimo comitatu pectus implevit, & vt in aciem omnibus armis instructus, ita in Scholas omnibus artibus armatus exijt. Hæ magnificæ cogitationes BODLEIO authores fuerunt, vnicis *Mertoni* ædibus reliqua Musarum templa postponendi. Nam quum videret in reliquis ampliſſimum illud per singula spaciandi desiderium, angusto vnius professionis gyro infringi, hic verò licere tanquam in latissimo æquore implere vela, & toto ingenio vehi: visum est hunc *Mertoni* campum aliorum semitis & convallibus amputatæ illi disciplinæ & abscissæ, latam hanc & magnificam & excelsam anteponere. Fertur enim magni animi torrens

rens non vt fontes anguſtis fiſtulis, ſed vt latiſſimi amnes totis convallibus; Saxa devolvit, pontem indignatur, ripaſq;, niſi quas ipſe ſibi facit, agnoſcit nullas. Iſtis itaq; ædibus inſeri & ambivit & obtinuit, quarum caſtigatiſſimæ diſciplinæ debentur totius Europæ ingenia celeberrima. Nequeo temperare mihi quo minùs matri meæ feliciſſimam vbertatem grátuler. Cui enim debent literę, illa in omni diſciplinarum genere clariſſima lumina? in Theologia, *Wiclefum*, *Scotum*, *Occhamum*? in Opticis *Cantuarienſem*? in Phyſicis *Burlæum* & *Suiſſetum*? illum tum in humanis tum divinis ætatis ſuæ facilè principem *Bradwardinum*? Excipietis me forſan aliquo aurium convitio, dicam tamen planè quod ſentio. Politiſſima hæc, quæ fertur, ætas non tam veram literaturæ faciem præſtat, quàm illa quæ incultior audit & inornatior. Illam multarum linguarum ſcientiam, quod noſtri ſeculi eſt palmarium, adjunctam licet habeat laudem præclariſſimam, ab ipſis tamen doctrinarum aris atq; adytis arcendam cenſeo, nec vltra pronaum admittendam. Quid enim? Rerum ſcientia eſt, non vocularum. Illi fortibus, nos fulgentibus armis præliamur. Apud illos cultiſſimum fundum, vberes oleas video, & verum robur: apud nos lilia & violas, hortorum amœnitates, quincuncem, ſterilem platanum, ronſaſq; myrtos. Immo hæc ipſa ætas, quæ doctiſſima audire ambit, ſi quando veritatem remotis inanibus notis rerumque pompâ inveſtigandum habet, illos tanquam *Democriti* puteũ conſulit, apud illos omnem vbertatem & quaſi ſylvam ſentiendi ſapiendiq; libens agnoſcit. Ij enim in ſelectiſſimis tum theologis tum philoſophis arcem tenent, non qui è philologię ſpacijs, ſed qui è Scholarum officinis inſtructiſſimi prodierunt. Sed non eſt idem ſemper diſciplinarum vultus. Nam vt reliqua omnia, ita & literæ ſua habent momenta, ſuas periodos, nec eædem omniũ ſeculorũ palato ſapiunt. Agreſtem illum & quaſi impexum prioris ævi horrorem, politioris ætatis lima reformavit. Secutum eſt doctrinarum varietatem Athenæum noſtrũ, & huic etiam literarum elegantiæ ornandæ eduxit decora ingenia. Nam vt omittam eos, qui ſuperſunt adhuc, & exornant

seculi nostri gloriam, quorum laudibus libera posteritas plenum testimonium prolixè cumulatéq; reddet: vt omittam eos, quorum ingenijs si dignum theatrum, si scena accessisset, in primis locum habuissent: vt omittam etiam eos, qui magna cum gloria literario pulveri civiles sudores miscuerunt: vel vnicus hic, quem lugemus defunctum, solus ædium nostrarum nomen famæ insereret, si in hunc vsq; diem laudis & honoris luce caruisset. Quam enim ille artium regionem non magnis itineribus peragravit? Quo non penetravit illa ignea vis? Aut quis ita affectavit singula, vt is implevit vniversa? subtilia matheseos, obscura Physices, sublimia Metaphysices non illi degustata leviter, sed penitus digesta. O incredibilem industriam, quæ ita singulis inservire potuit, per vniversa districta, & vniuersa suscipere in singulis occupata! Nec verò ille passus est divinum ingenium quendam quasi in opaco situm ducere. Nam vix exceperant ædes nostræ parturientem rosam, & illa statim in calathum fundi, & totâ rubentium foliorum ambitione pandi. Sic enim oportuit consummatissimum juvenem famam ingredi: nō differre tyrocinium in senectutem, sed fructū studiorum viridem & adhuc dulcē promere, & prima illa quasi gemmantis indolis ingenijq; germina famæ populóq; ostendere. Quāobrem in ipsa quasi studiorum incude positus, & primarum tantùm artium laureâ conspicuus, αὐτοχειροτονητὸς effusissimo totius ædis concursu, Græcarum literarum professorem sese renunciavit. Non enim is est inani scientiæ opinione subnixus, vt hodie nonnemo, qui si tria verba sapiat è Lexico, statim sibi *Suidas* uidetur aut *Hesychius*: omnem dialectorum varietatem, illam incredibilem verborum & compositionum fœcunditatē penitus memoriâ comprehenderat imbiberatq;. Statim itaque exploratæ vtilitatis res adolevit in exemplum, quod ne in posterum interiret, prudentissimi viri præmijs & stipendijs caverunt. Sedenim industriæ BODLEIANÆ admiratio ita me totum occupavit, vt mihi propè morum & probitatis oblivionem induxerit. Videri solet multis, scio, inter hæc tanta industriæ & ingenij præconia probitatis laus habere frigus quoddam.

dam. Mihi verò, etsi in omni vitæ noſtræ ſummâ, primum in moribus ponendum calculum exiſtimem, tamen neſcio quo modo honeſtas, in illa ſublimi & plenâ ſpiritûs natura, lumen quoddam habere videtur & nitorem, qui in illis inferioris ſubſellij ingenijs non lucet. Probitas enim ſæpè ſimplicitate quadam naturæ conſtat, improbitas ingenio. In illis enim quibus aut conditionis iniquitas occaſiones ſubduxit, aut tenuis & anguſta ingenij vena facultatem non miniſtrat, exilis laus eſt eſſe moderatos, eſſe modeſtos: ij verò, queis ingenium, facultas, ætas, occaſio lenocinantur, ſi intactos ſeculi contagio, ſi illibatos mores præſtiterint, quos plauſus merentur? quæ præconia? Atq; hęc laus BODLEIO noſtro ferè peculiaris eſt. Nam ſic profectò eſt: poſtquam omnia ſummorum virorum exempla evolverimus, vix milleſimus quiſq; evaſit adoleſcentiæ ſenectæq; juxtà integræ. Illi ipſi, quos non ſine ſtupore legimus, *Themiſtocles* & *Scipiones*, ætatis ſuæ integritatem non niſi præcerptam vitijs præfloratamq;, maximis rebus gerendis tranſmiſerunt. Hic verò ætatis ſuæ lubricum, quum nondum mores in tuto eſſent, adoleſcentiam, quæ nulla vnquam placuit ſine venia, ad maxima obeunda munia illæſam & ſacroſanctam conſervavit. Quòd ſi quid habeant cœleſtes cum mortalibus contubernij, ſi non prorſus veri vana magnorum effata authorum ferantur, caſta illa & nullis contacta vitijs pectora Deos ipſos maximè habere familiares: quem præſidētes ſtudijs divæ propiùs audirent? Cui magis artes ſuas aperiret familiare numen *Minerva*? Nunc tandem mirari deſino ita pleno numine Muſas ipſi affuiſſe. Itaq; non modò *Athenas*, ſed & totum illi Orientem indulſerunt. Omnia enim illa ſeu ſacra *Hebræorum*, ſeu ſecreta *Chaldæorum*, ſeu quicquid habet *Syria* reconditi, omnia illi quæſita, meditata, evigilatáq; erant. Quanti verò ſtudia iſta etiam in alijs æſtimârit, quamq; fuerit eorum, qui hiſce literis induſtriam ſuā conſecrârint, ſinus, portus, præmium, exemplum: ut alijs claris teſtimonijs ſæpè, ita inſigni illo palam fecit, quo eruditum *Druſium* de his ſtudijs notum, & accivit, & familiariter habuit, cujus & fovit ſtudia, & neceſſita-

tibus ſubvenit, quem etiam diſcedentem amiciſſimè viatico eſt proſecutus. Rem non eminentem quidem dicturus ſum, ſed tamen ſolidâ veràq; cognitione maximam. Erat in Archivis noſtris Hebræis conſcripta literis ſyngrapha, negotij olim cum Iudæis habiti teſtimonium. Erant litetulæ vacillantes illæ & perverſæ Rabbinorum, & characteris morositati acceſſerat etiam temporis injuria, quæ incertos tantùm apices reliquerat, & ἐξίλησε literarum capita. Diu itaq; neglecta jacuit, ut Sibyllæ folium, cui arbitri & interpretis lumen deeſſet. Vbi verò hic Noſter ingenij quadam face illuxiſſet, ſtatim patere clauſa, lucere tenebroſa, & redire quaſi evaneſcens ſcriptura, ut quæ vix oculis olim, nunc propè manibus tenerentur. Eſt hoc fortaſſis minoris, ſed tamen numeri. Quædã enim minima quidem ſunt, ſed tamen non poſſunt niſi à maximis proficiſci. Non enim illa ſolùm pulcherrima, & omnibus expreſſa coloribus tabula, ſed & minima linea Apellem loquitur: Neq; hæc tantùm maxima rerum compages, ſed nec culices, nec formicæ, nec vermiculi ab alio potuerunt, quàm ab infinita illa Majeſtate proficiſci. Ego vobis, Auditores, in illa præclariſſima vitæ BODLEIANÆ ſumma non talenta tantùm, aut minas, ſed, ſi liceret, fingulos etiam ſeſtertios numerarem. Equidem nihil dicam temerè, ea tantùm loquar, quæ viri maximi æternis literarum monumentis conſignârunt. *In hominibus præclariſſimis, non ſolum, quæ ſpecioſiſſima ſunt, & omniũ oculos convertunt, tenere nos debebant, ſed & illa quotidiana neceſſitatis munia,* τί ἔφαγον, ἢ πότε ἔφαγον, πόθι ἐκάθισαν, ἢ πῦ ἐκάθισαν; Nam ut in omnibus intentâ nervis cytharâ, ita in magnorum hominum actionibus ſumma infimis incredili quodam conſenſu concentuq; reſpondent: & altæ mentis, quæ in maximis ſplendet, radius quidam & velut ἀπύγασμα in minimis elucet.

Chryſoſt. in præm. in Ep. ad Philemonem.

Sed quid ego pluvias, ut inquit *Pindarus*, aquas colligo, ſeſe vndiq; vivo gurgite offerente? Illa BODLEII induſtria pluſquam humana, illa tot linguarum artiumq; infinita comprehẽſio, doctos tantùm egit in ſtuporem: at illa incredibilis morum ſuavitas, ille in congreſſibus geſtúq; toto lepos & veluti Attici-

eiſmus quidam, doctos indoctoſq; juxtà cepit. Sunt quibus lucubrationum intemperies & pertinacia quicquid eſt in moribus lætum carpit, & omnes amœnos ingenij ſuccos ebibit. Triſtes evadunt & difficiles, & dum ſe ſtudijs humanitatis applicant, ipſi propè fiunt inhumani. Noſter verò continuata ſtudia, quorum perdius & pernox ſatagebat, infinitâ venuſtate quadâ & *quaſi quintâ parte nectaris* imbuere; & cum ſe totum Muſis conſecrâſſet, luci tamē & amicis & congreſſibus dare nihilo ſecius. Vnde & illa ſupervacua literarum & amœna artium diverticula diſcere, non habuit inſuper: inſpicere eos, quorū ars in manuum vultūſq; indicijs dijudicandis verſatur, ſcire quicquid oneirocritici ſomniant de inſomnijs, iſtis demum in conventibus, tanquam honeſtâ quadam, & feſtivâ, & eruditâ aleâ luſitare. Hanc autem vtramq; quam induerat perſonam, ita ſūmo egit cum judicio, ut nihil ſeveritati ejus hilaritate, nihil gravitati humanitate detraheretur. In illis verò quaſi ſupremi cœli diſciplinis, quantus fuerit, quàm anquiſitè ſollicitéq; prudentium conſulta, *Hippocratis* oracula, divina Theologorum ſcrutatus fuerit, reverentius erit integrum illibatumq; ſecretis veſtris cogitationibus reſervari, quàm carptim brevitérq; perſtringi. Illud verò intactū prēterire non poſſum, quo & altioris eruditionis gloriam, & amœni ingenij laudem reportavit. Nam quum in exteris Academijs ingenij cultum caperet: & inceſſeret deſiderium, hominum de ſe voluntates & judicia explorandi, quantumq; ipſe poſſet in Iuris ſcientia experiundi: placuit publicè ſui ſpecimen exhibere, & in celeberrimo prudentium conventu aliquid controverſi Iuridicorum more diſcutere. Quam rem ita omnibus abſolvit numeris; eo judicio Authorum expendit opiniones, eo acumine in intimos receſſus penetravit, ea deniq; autoritate ſententiam tulit, ut qui Scævolæ & Vlpiani audiebant, Bodleivm purpurâ & ſupremis illius ſcientiæ titulis & inſignibus, propenſiſſimis animis & ſuffragijs cuperent irentq; ornatum. Sed non ego illa publici juris faciam, quę ipſi viſum eſt ſui tantum pectoris ſacrario committere: Honores illos attingam potiùs, in quibus libera tum Academię

tum

tum reip. judicia est expertus. Nam judicij in rebus moderandis satis amplum testimonium dedit Vniversitas, cum eum incredibili omnium ordinum consensu Procuratoriæ dignitatis ornamentis honestaret: Literarum verò elegantiæ multò amplissimum, cum illum Publici Oratoris munere ornaret; quo ille sic est perfunctus, ut sibi ad illam divinam omnium artium πανοπλίαν, non defuisse ostenderet rhetorum vineas & pluteos, & reliquam eruditam vim & oppugnandarum aurium apparatū. Hæc autem summa licèt apud nos sint munera, quorum illa ætas capax, erant tamen pulcherrimis illis cogitationibus inferiora. Nam quum videret, quanta dignitas, quanta majestas, quantū deniq; numen esset civilis prudentiæ, noluit ulterius in istis officiorum ludicris & umbra velitari, illoſq; ad veram pugnam natos lacertos, levitate jaculi aut jactu discivanescere. Protinus ergo *Germaniam*, *Galliam*, *Italiam* peragrare, pulcherrimis exemplis imbui, inde prudentiæ haustus bibere, inde civilium rerum usum sumere, quem mox in negotijs & concilijs præstaret. Neq; verò illum divinæ spes & cogitationes fefellerunt. Vix enim reversus est, & statim nobilissimas obire legationes, ad *Fredericum* serenissimū *Daniæ* Regem, *Iulium* Ducē *Brunsvicensem*, *Guilelmum Hassiæ* Lantgravium, *Henricum* Christianissimum Galliarum Regem, funestissimâ illâ Gallicanæ Reip. tempestate, quâ *Guisianorum* scelere & furijs acta Regia Civitas clementissimum & immeritissimum Regem expulit, & pudendo exemplo ultima ampulit rerum vitæq; suæ discrimina experiri. Huc accedat celebertimum illud apud Fœderatarum Provinciarum Ordines actum quinquennium, quo turbatis pacem, dispersis ordinem dedit, quicquid flammarum incensi animi conceperant, extinxit, & si quas tempestates concitatæ suspicionibus mentes portendebant, serenavit. Hoc illud tempus est, quo honoratissimo Viro per Serenissimam Principem & reliquam Procerum manum, quæ ipsi assidebat ad gubernacula, amplissimum fidei prudentiæq; testimonium factum est. Nam quum illa Legatorum penè lex sit, ex præscripto tantùm agere, & velut præformatas infantibus literas persequi, & ut Græci

dicere

dicere ſolent, *quem mater amiſſum dedit, ſollicitè cuſtodire*: Ille ſolus nihil ferè monitorum accipere, ſuis tantùm niti radicibus, & dominus rerum temporúmq;, trahere conſilijs omnia, non ſequi. Hæccine vobis levia aut ludicra videntur, induere regũ perſonas, indutaſq; agere? Voluntates Principum, quas intelligere, immo ſubodorari ſæpe nefas eſt, divinare & feliciter antecedere? At non eſt viſum ſic *Honoratiſſimo Seni*, qui tum temporum Principis totiuſq; Reip. gratiâ eſt ſubnixus. Illo vnicum mirari BODLEIVM, ſummis apud Principem laudibus ornare, digniſſimum ferre, qui conſilijs & ſecretis interſit, immo illud in animo moliri, ut BODLEIVM ſibi in officio collegam renũciaret. Sed quum Illuſtriſſimus Vir, qui in ea ſcena rerũ in Principis populiq; favore partes agebat multò maximas, BODLEIVM importunis ubiq; oneraret laudibus, quas nõ ceſſabant nimium ingenioſè malevoli magis in aliorum præjudicium, quã in ipſius honorem conceptas interpretari: accendit ea res potentiſſimos æmulos, quibus obſtinatũ in poſterum BODLEII honores infringere, &, ſi quid ipſi decerneretur honorifici, intercedere. Ego verò te, BODLEIE, non illum magis auſpicatum puto egiſſe diem, quo *Galliam, Daniam, Germaniam* nobiliſſimis legationibus peragrares, quàm quo libero de dignitate tua hominum maximorũ judicio fruerere. Tum enim omnes legationum & honorum titulos ſupergreſſus es. Ambire enim & gerere honores ſummos, peſſimi & poſſunt, & ſæpe ſolent. At frui opinione optimorum, haberi omnibus titulis & honoribus par, is ſolus poteſt, quem vera virtus internis hominum conſcientijs fecit commendatiſſimum. Quamobrem cum eo jam cardine prudentiſſimus vir res ſuas verti comperiſſet, linquendas cenſuit incertas artes, & non ſemper ſinceras magnatum amicitias, removendum ſe à ſollicitudinibus & curis, & neceſſitate quotidie aliquid contra animum faciendi: ſtatuitq; in loca pura atq; innocentia, & in aliquod pulcherrimum quietis *Linternum* concedere. Quod divinum BODLEII conſilium poſtquam innotuiſſet, quàm ægrè? quâ contentione? quo niſu obtinuit? quàm ei penè patria manum injecit? Iterum of-

D. Guilielmo Cecilio.

ferre ſeſe celeberrimæ legationes, iterum *Gallia* vocare, iterum *Germania*, nobiliſſima BODLEIANÆ virtutis arena, iterum tituli & honores. Sed obdurierat contemptor ambitionis & infinitæ cupiditatis frænator animus, maluitq; ſecretus & conſecratus, liber ab invidiâ, procul à contentionibus, famam in tuto collocare, verumq; honorem in hominum judicijs, quàm titulorum ſplendore reponere. Quantam vobis hæc divinæ mentis admirationem excitant? Nam poſt damnum temporis & ſpes deceptas impetu quodam & inſtinctu quærere ſecretũ, & hominum famam contemnere, cum te priùs fama hominesq; contempſerint, facile eſt. Sed cum ambit & quaſi procatur honor & ſecundus Magnatum favor, deliberare & cauſas expendere, vtq; ſuaſerit ratio, honoris aut ſecreti conſilium capere vel ponere, ingentis animi eſt. Quamobrem te, BODLEIE vt actionis flore, ita & ſeceſſionis tuæ opportunitate, divino conſilio vſum arbitror. Eſt enim illud ſapientis viri & in omni optimi civis officio verſati, finem quoq; dignum optimo viro & opere ſanctiſſimo facere, & ſcire quando definendum. Meritò ſua riſerunt ſecula *Domitium Afrum*, qui cum olim fori princeps fuiſſet, tandem verò ſenectute fractus quotidiè aliquid autoritatis perderet, & verſari tamen in orationibus & roſtris vellet, opportuni ſcommatis occaſionem fecit, *malle eum deficere, quàm deſinere*. Noſtro ergo curæ fuit, priuſquam in has ætatis veniret inſidias, receptui canere, & in portum integrâ nave pervenire, & definere cum deſideraretur. Atqui inſita illa cœleſtis vis nullo potuit ſecreto, nullo receſſu infringi: ſed vt nobiliora animalia, ſi caveis includas, efferveſcunt magis; ita ignea mens eo magis incaluit, quo anguſtiore gyro coerceretur. Non enim ocioſa res eſt aut quieta magnificus animus, nec quæ importunâ quadam modeſtiâ, & veluti probitate gaudeat. Inquies eſt, effrænata, contumax, mutat induſtriam, non intermittit; paſcitur operibus, reficitur curis, & quod alijs labor, illi natura eſt. Rem itaq; aggreditur BODLEIVS nec dicendam nec ſilendam ſine cura. Nam cum memoriâ recoleret Academiam gentemq; togatam, curas olim ſuas & amores; videretq;

vetu-

vetuſtatem, non privatam aliquam partem, ſed ipſa inſignia atq; inſulas Academiæ invaſiſſe: & locum illum, quem Muſæ tam manifeſtæ ac præſentes, quàm *Parnaſſum* ac *Helicona* inſident, non modò blattas & tineas, ſed propè vepres & cautes & avia occupaſſe: cogitavit non modò de hominibus, ſed de tectis ipſis bene mereri, ſiſtere ruinas, pellere ſolitudines, & ingentia opera, eodem quo extructa ſunt animo, ab interitu vindicare, Muſiſq; quas priorum temporum immanitas expulerat, quaſi ſpiritum & ſanguinem & patriam refundere. Iam verò quàm hoc magni animi, quàm auguſti, non vnum aliquem liberalitate demereri, ſed totius literati orbis ambitu munificentiam terminare? Deum ipſum imitari, & beneficia non hominibus, ſed humano generi præſtare? ſimul omnia perfundere, vtq; ſol & dies, nõ parte aliqua, ſed ſtatim totum, nec vni aut alteri, ſed omnibus in commune proferri? Quinetiam vt Regij tantùm muneris erat viam hanc primò diſciplinis aperuiſſe, libroſquè publicè legendos exhibuiſſe: (ſic enim literatis *Piſiſtratus*, *Xerxes*, *Seleucus*, *Ptolemæus* omnium primi conſuluerunt) ita quoſcunq; accendit imitationis ardor tanta implere veſtigia, regiæ planè munificentiæ erant & divinæ. Patimini, obſecro, Academici doctiſſimi, me *Mertonenſibus* meis iterum celeberrima famæ gloriæq; noſtræ lumina gratulari. Propemodum enim noſtra eſt & peculiaris felicitas Bibliothecas ſumptibus excitare, & ingenijs implere. Nobis enim debetis *Kempium* illum magnum Archipræſulem, cujus gratiſſimam memoriam ad omnes aras & pulvinaria ſolenni pietate & officijs proſequimini. Ille vobis in excelſa illa pyramidum & elegantiſſimi operis mole extruendâ immenſos ſumptus exhauſit; nec in extruenda modò celeberrimam poſuit operam, ſed & quingentis inſuper inſtruxit voluminibus, & intùs argumenti ſcripturæquè precio nobiliſſimis, & extrà argento auróq; operoſè fulgidis. Quæ omnia cum in triumphum barbariæ & inſcitiæ ceſſiſſent, hinc tanquam è *Kempij* cinere exortus Bodleivs, ita omnia multò præſtantioribus reponi curavit, vt ideo cecidiſſe videantur, vt hic egregius vindex & reſtitutor accederet. Cogitati operis

ris gloriam celeritatis lenocinium comendavit. Nec enim is erat, apud quem longis & accuratis precibus erat vtendum, aut qui promissa gravatè præstaret, & imputanti similis. Illum, demerendis hominibus natum, quisquam vt hortetur? quisquam vt admoneat? vt instiget? eâdem operâ auras vt vigeant, ignes vt caleant, maria vt effluant, superfluus instigator admoneret. Ille enim statim communicare Academicis consilia, accersere peritos, & ne videretur beneficio pondus quærere, statim aggredi. Memini, semperq; meminero illius diëi, cum revertentium à consilio publico majorum meorum sermonibus puer interessem. Quis tum erat omnium ardor? qui sermo? Veniisse in consessum honoratissimum virum; orationem habuisse, qualem, Deus bone! quàm magnificam? operam Academiæ cumulatissimè promisisse, & immensos, quos vndiq; infinitis sũptibus comparaverat, librorum thesauros coràm Academię donâsse. Quæ fuit illius diëi lætitia? quis totius civitatis concursus? quæ vota penè inferentium cœlo manus? Sic enim affecti fuimus, quasi tum demum veram Academiæ faciem intueremur, & nunquam antea. Nihil dicam ambitiosiùs augendæ rei causâ, vtinamq; non sim minuendæ. Rei literariæ rationibus nemo vnquam meliùs, nemo opportuniùs ivit consultum. Nam qui in hæc postrema incidimus tempora atq; pessima, vt in rebus civilibus nihil vidimus vsitatius quàm invsitata flagitia, ita in disciplinis infandam sensimus tentari crudelitatem, & deterrimis nunquam auditam seculis. Parum scilicet in pœnas notæ crudelitatis fuit: non est satis damnatas esse ferro manus & pedes, terga flagris, cervices laqueo & securibus: in ea quæ ab omni patientiâ rerum natura subduxit, in hominum ingenia, in disciplinarum monumenta sævire, nostræ ætatis specimen est. Nam qui pietati & sanctioribus literis abolendis sacramento dixerunt, postquam nihil fraudis artiumq; infamium reliquerint intentatum, sentiunt tamen sese nihilosecius ita durissimis confligere conditionibus atq; vltimis, vt rebus nõ possint succurrere desperatis, nisi in omnia antiquitatis testimonia involent, & præclarissimorum virorum monumentis infandam vim

& manus inferant: priſtina ingenia alia extinxerunt penitus, alia mutilârunt, alia fæce & ſcoriâ infecerunt, omnia immundo contactu polluerunt. *Dij talem terris avertite peſtem.* Sedenim labes illa & funeſta diſciplinarum peſtis, quæ ubiq; præla occupaverat, irrepſerat in Bibliothecas, nec jam ſecretis molitionibus, ſed palàm multitudine & authoritate munita volitabat, nullis potuit, ne Vulcanijs quidem armis penitiùs confodi, quàm eſt per BODLEIVM, confecta atq; trucidata quũ tutiſſimum illud Scriptoribus aſylum conſecraret. Quamobrem graſſentur quâ volunt *Poſſevinus* & *Gretſerus*, qui in corrumpendis libris dominantur: cudant, recudãt, inhibeant, corrigant, corrumpant, corrodant, BODLEII tamen immortalis munificentię divinum munus inviolata antiquorum monumẽta omni poſteritati dabit. Sed dum vobis impenſiùs faveo, quæ ego & quanta prętermitto? Perpetuos illos & opimos reditus, quibus operis ſui æternitati proſpexit: leges illas & ſaluberrima inſtituta, quibus, quantum erat humanę opis, hominum & temporum injurijs ivit obviam: reliqua illa, quæ ſingula etiam diſpenſata juſti voluminis inſtar exigunt? Facile enim ſentio orationis meæ tædium, & longæ attentionis veſtræ martyrium. Sed quid faciam? aut quem ego ſtatuã orationi meæ finem, quũ hic beneficijs ſtatuat nullum? Inſtat & onerat priora ſequentibus, nec ſatis actum putat, niſi ſuis immenſis ſumptibus futurorum liberalitatem invitet. Nam quum ampliſſimum prioris ſeculi opus poſterorum munificentia feliciter anguſtum feciſſet, regijs planè impenſis ampliſſimo auxit frontiſpicio; cui cum vltimam manum impoſuiſſet, Divina Majeſtas eum cœlo vindicavit, ne poſt illud immortale factum, mortale aliquid faceret. Enimverò, BODLEIE, fuerit hęc maximo operi tuo debita veneratio, vt noviſſimum eſſet: fuerit etiam fortaſſis felicitatis tuę pulcherrimo operi immori: At quid Reip. reſpondebimus, quã tractâſti? quid Academiæ, quam inſtaurâſti, quæ in medijs tuis Mauſolæis & monumentis & bibliothecis te cogitat, te deſiderat: quæ te ut inſigne quoddam naturæ monumentum ſuſpexit, te omni artium ſupellectile inſtructiſſimum, ut vivã & ſpirã-

tem bibliothecam semper habuit. Cui jam nostrum sudabit ingenium? Cui literulæ nostræ placere gestient? quicquid dixerimus, quicquid meditabimur, quia ille non audit, mutum videtur. Monumenta illa quidem atq; beneficia manent, æternũq; manebunt, nec vllâ vnquam labascent innumerabili annorum serie & fugâ temporum. Sed admirabiles illos & spirantes amores, quibus Academiam prolixissimè est amplexus, fidelibus icti desiderijs quærimus. Nam quî dissimulare possumus, quas ille curas in causis negocijsq; Academicis susceperit? Quàm illa vltima deficientis spiritûs momenta circa solam Academiam habuerit? Nam cum certus obeundi mediâ jam morte teneretur, & de illâ, quã Scholis Publicis imponere statuerat, coronide sermo incidisset: *Ego*, inquit, *si vixero, ipse præstabo, sin mihi aliquid accidat humanius, testamento cavebo.* Atq; hîc cum aliquis ex intimis novas vires & longam salutem voto magis quàm spe ominaretur: *Immò verò, ego*, inquit, *morior. Nam quamdiu mihi cor vegetum mansit & erectum, vitæ spem fovi: at nunc mihi ipsum cor labascit, & mors certissima imminet.* Tibi corvt labascat, BODLEIE, aut vnquã illud pulcherrimorum conciliorum domiciliũ frigus & torpor vt occupet? Tuũnè ô præsidium nostrum & dulce decus, frigidũ & exangue corpus tenemus, videm°, & chariſſimã nobis sanctissimamq; memoriã postremis officijs hodierno die prosequimur? Téne, quem deũ quendam & parentem statuimus fortunę, nominisq; nostri, intuemur hodiè sine nomine cadaver, truncũ, cineres, nihil? Atq; ille quidem obijt, plenus annorum μεστὸν τῶν ἀμεληθέντων, plenus honorum, etiam illorum quos recusavit: Candidatus æternitatis & exempli, quod imitabitur nemo, etsi omnes fateantur imitandũ. Vos verò, sanctę reliquię & quicquid restat BODLEII, eruditi cineres, quos hodiè postremùm videmus, heu postremũ videmus, salutamus, salvete æternùm, æternúmq; valete.

Naz. in funere Fratris.

FINIS.